COMPENDIVM HVNGARIAE GEOGRAPHICVM,

AD EXEMPLAR

NOTITIAE HVNGARIAE NOVAE HISTORICO - GEOGRAPHICAE,

MATTHIAE BEL,

IN PARTES IV.

VTPOTE,

HVNGARIAM, CIS-DANVBIANAM, TRANS-DANVBIANAM, CIS-TIBISCANAM TRANS-TIBISCANAM, ET COMITATVS, DIVISVM



EDITIO TERTIA AVCTIOR & CORRECTIOR.

POSONII ET CASSOVIAE,

SVMTIBVS JOANNIS MICHAELIS LANDERER, TIPOGRAPHI & BIBLIOPOLAE.

1779.

PRAEFATIO

TERTIAE EDITIONI PRAEMISSA.

LECTORI BENEVOLO SALVTEM.

Tertiam editionem compendii huius, auctiorem, emendatioremque prodire, qui eam cum prioribus contulerit, facile largietur. Non enim tantum multa, quae ad descriptionem geographicam praesentis, priorumque saeculorum regni nostri illustrandam, aliquid faciunt, parti primae sunt adjecta; sed integrum etiam caput alterum, parti huic insertum esse, deprehendet. Qua in re imitari

placuit principem aetatis nostrae geographum, ANTONIVM FRIDERICVM BÜSCHING, *cuius geographia saepius iam recusa est.*

Addita vero sunt passim oppida, & arces olim celebres, ex quibus aetas nostra, praeter rudera & vestigia quaedam, vix quidquam ostendere potest.

Suscepi laborem hunc molestum, illis in primis adolescentibus in gratiam, qui ad historiam, & geographiam medii, vt vocatur, aevi, in scholis praeparandi sunt. Quia tamen non omnes, qui praecipua loca Hungariae perlustrare cupiunt, memorabilibus priscae aetatis, quae passim adtigi, delectantur; propterea, ad notas certas calci paginarum subiectas, eadem reieci, vt scilicet illi non habeant necessum illa legere, quibus taedium adferrent.

Vt

Vt vero, tibi, lector beneuole, constet, ex quibus fontibus, quae adieci, hauserim, quibusue ducibus, & magistris profecerim: officii mei esse duxi, eosdem, in compendio hoc, saepius commemorare, & excitare. Percurri ANTONII BONFINII, PETRI RANZANI, STEPHANI BRODERITHI, NICOLAI OLAHI (*ex editione, quam illustris.* ADAM FRANCISCVS KOLLAR *an.* 1763. *procurauit, eruditisque notis illustrauit*) *& aliorum, breuem descriptionem geographicam regni, quam historiae suae praemiserunt. Neque pigebat* M. IOHANNEM THUROCZ, LUDOVICVM TUBERO, NICOLAUM ISTVANFI, CASPAREM VRSINUM VELIUM, *& complures alios, situm locorum praecipuorum eleganter describentes, excutere. Inter recentiores plurimum debeo, Rever. Dom.* PP. SAMUELI TIMON, MICHAELI

BOMBARDI, LADISLAO TVROCZ, GEORGIO PRAY, STEPHANO KAPRINAY, ET CAROLO WAGNER, *qui, in operibus ſuis multa eruditione refertis, multa detexerunt, quae geographiae ſaeculorum ſuperiorum multam lucem adfundunt. Memini, pro merito, cuiusuis, ſuo loco, neque ſubticui facile nomen viri, cuius lucubrationes in vſus meos conuerti. Sed, de his, & aliis, quae praeterea commemorare poſſem, tu, lector beneuole, iudicaueris. Vale & conatibus meis faue. Poſonii, die* 15. *octobris an. Domini* 1777.

PRAE-

PRAEFATIO

ALTERI EDITIONI PRAEMISSA.

LECTORI BENEVOLO SALVTEM.

Non erit necessum, lector beneuole, causas e longinquo arcessere, scrupulosius, cur, in altera hac editione compendii Hungariae geographici, nonnulla addita, quaedam vero immutata, deprehendas. Facile illas, si rerum vicissitudines, quae multas post se trahere solent mutationes, paullo diligentius consideraueris, detexeris. Illud tantum monendum esse iudicaui, me cauisse quam diligentissime, ne quid ex labore hoc, curis multis de historia, geographiaque Hungariae immortaliter meriti Mathiae Belii, atque Tomka Szaszkii, quod salua veritate retineri poterat, expungeretur. Commendant compendium hoc, ordo, methodus, & diuisiones cuiusuis prouinciolae, seu comitatus, suas in partes, processus nostri vocant, urbes, arces, & oppida.

Vna diuisio est Hungariae, eaque alias, & nota, & vsitata, quae crucem figere solet, regni, & historiae scriptoribus. Scilicet, plerique omnes, qui geographicam regni apostolici dederunt descriptionem, in superiorem, & inferiorem partiri solent Hungariam. (*) *At vero, si quaeras, cur, & quo auctore id faciant, vel obmutescunt, ad quaestionem, vel rationes adducunt, quae parum ad rem facere videntur.* (**)

Quia

(*) Vide Dauid Froelichii mathematici Caesareopolitani medullam geographiae p. 336. Martini Mayer Ortelium rediuiuum & continuatum p. 17. Joh. Tomka Szászky, in introductione in orbis hodierni geographiam p. 435. Melius faciunt, qui Hungariam, in citeriorem & vlteriorem partiuntur. Illam geographi & historici veteres, Pannoniam vocabant: haec vero sedes Iazygum Metanastarum, & Daciae partem, complectitur. Bonf. Hist. Hung. Decad. I. Lib. I. Rauzan. epit. rer. Hungar. indice I. Nicol. Olah. in Hung. & Attila cap. IV. seq. Broderithi descriptio clad. Mohâts, alii.

(**) Diuisio Hungariae in circulos, seu districtus IV. quorum tres scilicet Cis-Danubianus, Cis-Tibiscanus, & Trans-Tibiscanus in ea sunt Hungaria, quam nos citeriorem vocamus, quartus vero Trans-Danubianus, in vlteriore, lege publica, in comitiis anno 1723. est adprobata. Legas decreti regii anni 1723. art. 31. in quo cuiusuis circuli comitatus enumerantur.

Quia vero, hoc quoque compendium, diuisionem hanc pag. 45. exhibet, & nonnulli viri eruditi litteris adurgent, vt illius fundamentum, si quod adest, ostendatur: nemo mihi forte viti vertet, quod, quid in hac re praestare liceat, tentare non dubitem.

Qui Hungariam in superiorem, & inferiorem diuidere coeperant, illi, Danubii, principis, cum omnium, tum inprimis majorum, quos in Hungaria conspicere licet, fluuiorum, rationem habuisse mihi non videntur. Si enim, a Danubio, partitionis huius fundamenta essent repetenda, illam regni partem, quae Styriae, Austriae inferiori, Morauiae, Silesiae, Gallitiaeque vicina est, superiorem, quae vero ab illis regionibus longius recedit, & ad Slauoniae partem, Seruiam, Valachiam, Transiluaniam, & Pocutiam accedit propius, inferiorem vocare debuissent. Forte, quae supra Budam, hac & illa ex parte Danubii posita est, superior, reliqua inferior esset vocanda Hungaria.

Neque existimo auctores diuisionis hujus, ad maiores fluuios, quibus Hungarica tellus gloriatur, adtendisse, quorum praecipui, praeter Danubium, iam commemoratum, sequentes esse dignoscuntur: Vagus, Granus, Tibiscus, Sauus, Drauus, atque Raba. Si enim, a fluxione amnium horum, occasionem sumsissent, partitionem hanc instituendi, duplicem haberemus, superiorem iuxta ac inferiorem Hungariam, alteram cis, vltra Danubium alteram quaerendam

dam. In Hungaria cis Danubiana illa mihi adpellanda videretur ſuperior, quae Morauiae, Sileſiae, & Galliciae vicina eſt, trans Danubiana, quae Sclauoniae partem, Styriam, & Auſtriam inferiorem adtingit: illi vero comitatus, qui ad Danubium hac illaque ex parte propius accedunt, & ſuo eum quaſi complectuntur ſinu, ſiſterent inferiorem Hungariam. In vulgus quippe notum eſt, omnes majores fluvios, qui partim aliunde deferuntur, in Hungariam, partim etiam, ex domeſticis montibus elapſi, & riuis multis, torrentibusque aucti, in maiores excreſcunt fluuios, Poprado, & Dunauecz exceptis, in umbilicum regni, & vicinarum prouinciarum, quae partes olim erant Hungariae & nunc ſub Turcica ſunt poteſtate, defluere, & poſt multas tortuoſas errationes, in Danubium demum ſe exonerare.

Haec vtut ſe habeant, ego tamen, pace aliorum, exiſtimo, diviſionis huius ortum cunabulaque ad Hungaros eſſe referenda, & primos eius auctores, nonniſi ad majores domeſticos, hoc eſt, illos fluuios, quos montes Hungarici, in primis vero Carpatici, eructant, animum aduertiſſe. Conſtat omnibus Sauum, Drauum, Rabam, & alios maiores, qui Trans-Danubium ſunt, amnes, extraneis ex oris, ad Hungariam deferri, Vagum vero, Granum, atque Tibiſcum, & in Hungaria, ex viſceribus Carpati prorumpere, & poſtquam ſe, riuis torrentibusque multis interceptis, reddidere validos, hoc adhuc in regno

Da-

Danubio misceri. Illos comitatus, apud quos, fluuii duo priores oriuntur, & quos primum adluunt, vna cum illis, qui Tibiscum, piscosum alias amnem, circumdant, ad superiorem nostris referre placuit Hungariam; reliquos, cum illis, quos Trans - Danubiana Hungaria habet, ad inferiorem. Vagus fere vnicus fluuius opinationi huic aduersari videtur, qui, licet ex Carpato, ad limites Scepusiensium ortus, primum Liptouiensem perfluit comitatum, indeque demum ad Thuroczienses defertur, nec tamen Liptouiensis, nec Thurocziensis, nec reliqui, ad quos fluvius hic rapidus accedit comitatus; ad superiorem pertinent Hungariam. Ad haec tamen repono, necdum, inter historicos & geographos regni Hungariae constare, quot, & qui, Cis-Danubiana ex Hungaria comitatus, superiori Hungariae, omnesne illi, quos nostri Cis - Tibiscanis opponunt, vel Liptouiensi, Aruensi, Thurocziensi, & Zoliensi exceptis, attribui debeant.

Accedit ad rationem hanc alia, eaque physica. Superior Hungaria, a vicinis regionibus, vtpote Gallicia, & Transiluania, Carpaticis montibus, praealtis illis admodum & excelsis, vbique locorum separatur, inferior vero, in limite regni, & paucioribus longe depressioribus, quam Carpatici nostri sunt, a vicinis regionibus, vtpote Austria, Styria, Croatia, & Slavonia secernitur Inde facile colliges, cur, ab ortu & septentrione, nullos fluuios Hungaria, & quae pars olim ejus erat, Transiluania recipiat, ab occasu vero, & plurimos, & profundiores nonnullos validioresque.

Tertia

Tertia adhuc ſuccurrit, ab ingreſſu Hungarorum, hanc in regionem, petenda ratio. Qui, in hiſtoria Hungariae, non prorſus ſunt hoſpites, illis conſtabit, Hungaros, ſaeculo IX. praecipite, ſuperiorem prius Hungariam, vicina cum Tranſilvania, occupaſſe, tum, traiecto Danubio, Trans-Danubianam, Cis-Danubianam omnium vltimo tempore. (***) *Loca, quae prius tenuere, & ex quibus poſtea ſe demittebant, accedebantque ad alia ſubigenda, ſuperioris, reliqua, inferioris Hungariae nomine inſignire eis placuit.*

Quibus vero mirum videtur, quod Hungari, in denominatione ſuperioris & inferioris Hungariae, Danubium fluuium non reſpexerint, illi recogitent, non ſolos eſſe, qui id fecerunt. Auſtriam quidem ſuperiorem, geographi vocant illam, ad quam Danubius, ex Bauaricis oris eluctatus, accedit; inferiorem, quae eum, ſuperiorem Auſtriam derelinquentem accipit, traditque Hungaris. At, Bauarico in circulo, aliam deprehendes diuiſionis rationem. Non illam Bauari, vocant ſuperiorem Bauariam, quae, Sueuicas & Franconicas adtingit terras, nec eam inferiorem, ex qua, in Auſtriacas ditiones, aquae eius, validis cum viribus incurrunt. Malunt illi, ſuperiorem Bauariam vocare, quae ad Tyrolen-

(***) Anonym. Belae regis notar. cap. 33. 37. Auguſtus Conſtantinus Porphyrogenita de adminiſtrando imperio Romano cap. 41. & 42.

lensium montes horridos est reiecta, illam vero, quae Danubio est vicinior, inferiorem. Iidem Palatinatum superiorem in Bauaria, Franconicis agris vicina, habent; inferior apud Rhenum fluuium, a geographis collocari solet. Et quem fugit, ex inferiore Saxonia, in superiorem, nonnullos minores defluere fluuios? Italia quoque in superiorem, mediam, & inferiorem a geographis diuidi solet, quis tamen nobis ostendet? transire quosdam ex superiori, in inferiorem Italiam fluuios. Cur ergo Hungaris nostris crimini datur, quod, in diuisione ea, quae deposcit, vt aliam dicas Hungariam superiorem, inferiorem aliam, Danubii, rationem habendam esse non existimauerint?

Haec pauca in praesens sufficiant, quae si tibi, lector beneuole, non displicuerint, in sinu gaudebo; si autem a vero me aberrasse ostenderis, haud illubens tibi palmam dabo. Posonii die 22. April. anno reparatae salutis MDCCLXVII.

CON-

CONSPECTVS
COMPENDII GEOGRAPHICI HVNGARIAE.

PARS

PARS I.

TRADIT

GEOGRAPHIAM

HVNGARIAE

GENERATIM.

MEMBRVM I.

DE

STATV NATVRALI HVNGARIAE.

§. I.

Hungaria totius Europae regnorum pulcherrimum eſt. Nam, & ſitus amoenitate, & foecunditate, oppido excellit. Proinde; nec ſolo, nec coelo, vlli regno ſecundum eſt. Vnde & Hungarorum illud prouerbium coepiſſe dicas: *Extra Hungariam non eſt vita, & ſi eſt vita, non eſt ita.* Et, habent profecto, cur glorientur Hungari. Nam, nec annonam, nec metalla praeſtantiſſima etiam, aut alia commeditatis ſubſidia ibi deſideraueris.

Glebam in multis locis habet nigram, pinguem, vliginosam, quae, non magno colonorum labore, fructus vberes, optimosque producit. (*a*)

Vocatur alias Pannonia, (*b*) &, ante aduentum Hungarorum, pro diuersitate gentium, quae eam incolebant, diuersa nomina habebat. Prisca quidem aetate, in Pannoniam, terram Iazygum Metanastarum, Daciam, & Moesiam diuisa fuit. (c)

§ II.

Quod ad positum regionis adtinet, ad orientem quidem Transiluaniae & Valachiae proximat Hungaria; occidentali parte, Morauiam, Austriam & Stiriam adtingit. Qua vero in septentrionem vergit regio, ad Silesiae, Galliciae confinia procurrit; in meridie Seruiae, & Slauoniae limitibus terminatur.

Hic scilicet est positus Hungariae nostra aetate. Initio saeculi XVI. adhuc, & Transiluania, & totus banatus Temesvariensis, ad eandem spectabant, iisdemque iuribus ac institutis, quibus illa, gaudebant. Hungaria in ampliori significatu sumta, Saeculis XIV. & XV. nouem ex regnis componebatur, scilicet Hun-

(*a*) Petr. Bizarus de bello Pannonico apud Joann. Georg. Schwandtner in scriptor. rer Hungar. T. I. p. 666. ita: Nulli regioni terrarum cedit hominum robore, pecorum foecunditate, vbertate soli, ac metallorum copia, coeli praeterea benignitate ac pulchritudine situs, omnibus orbis regionibus suo iure potest anteferri. Tellus omnium rerum copia a natura donata, vbi aurum, argentum, sal, lapillos, colores, effodere licet. Frumenti, pabuli, leguminis & pomorum abundantia praestat. Neque deest copia piscium, & cupri confectura. In plerisque fluminibus auri optima ramenta inueniuntur, quin, & in vitibus, in aurifero solo satis, aurum quandoque legunt.

(*b*) In Decr. S. Ladislai R. Lib. II. cap. 1.

(c) Vide, si placet, Christophori Cellarii notitiam orbis antiqui T. I. Lib. II. Cap. VIII. p. 437. & Jo. Seuerinii Pannoniam veterem monumentis illustratam. (Lips. 1770. in 8vo.)

Hungaria ipsa, Croatia, Dalmatia, Rama, Seruia, Gallicia, Lodomeria, Cumania & Bulgaria. (*d*)

Regna haec in complexione sumpta, nonnulli, media aetate, Hungariam magnam vocarunt. Mappulam eius geographicam Ioan. Tomka Szaszky anno 1750. Posonii in lucem emisit.

§. III.

Situs temperamentum, si exacte spectauerimus: praestantissimum merito dixerim. Nec montes enim siluigeri, nec sua, regno, & amoena, & foecunda deficit planities. Habet quoque fluuios & amnes, qui pisces suppeditant praestantissimos. Superior Hungariae pars ad septentrionem reiecta, est montosa, frigida, & in quibusdam locis sterilis; salubris tamen. In medio, & parte inferiore, positae prouinciae, sunt planae, calidae, fertiles, lacubus tamen, & stagnis alicubi impeditae, variisque morbis, inprimis febribus, obnoxiae. Hungaricus peculiaris morbus, Csömör dictus, species est calidae febris, qua sanguis in celeriorem motum concitatus, nodos sub cute excutit. Facile is, ni malum serpere permiseris, frictione crebra, & vnctione, adhibitis allio, aceto, & sale dispellitur. Consciscere vero sibi solent plurimi morbum hunc, nimia auiditate in cibo, potuque capiendo, alii vero, si, post aestum nimium, noctu corpus refrigerent. Pestilentia ex Turcicis ditionibus infertur, & saepius Hungariam, saeculis

(*d*) Stephanus V. Rex primus est, qui omnibus his titulis vti coepit. Petr. Ranzan, in epit. rer. Hungaric. indice 18 apud Schwandtner. in scriptor. rer. Hung. T. I. p. 376. sua ditione tenuit. (Carolus I.) Dalmatiam, Croatiam, Seruiam, Lodomeriam, Russiam, (Galliciam) Cumiam, (Cumaniam.) Bulgariam, Ramam, (Bosniam.)

A Wladislai aetate, additus adhuc Regis Slauoniae titulus. Franz Karl von Palm, Abhandlung von den Titeln und Wappen, welche Maria Theresia, als apostol. Königinn von Ungarn führet (Wien, 1774.) pag. 12. seq.

seculis superioribus, quibus Hungaris, frequentia cum Turca bella erant, quam aetate nostra, adflixit.

§. IV.

Montes Carpatici, Tatri alias, vt & (e) Tatra dicti, regnum semiformis lunae specie, inde a Posonio, vsque ad Transilvaniam, Morauiae, Silesiae, & Galliciae finibus occupatis, incingunt. (f) Quare diuersa etiam nomina accipiunt. (g)

§. V.

Radices montium, longius porriguntur. Plerosque enim comitatus replent: Posoniensem puta, Nitriensem, Trentschiniensem, Thurocziensem, Aruensem, Liptouiensem, Soliensem, Barschiensem, Sarosiensem, Honthensem, Gömöriensem, Tornensem, & Scepusiensem. Parte quadam etiam Zempliniensem, Vnghensem, Vgotschensem, Marmarusiensem cum Szolnok medioeri, occupant. Praeter Carpatum, notandi sunt duo celebres montes; quorum alter Fatra est, qui, Liptouiensem, a Thurocziensi comitatu separat, alter vero Matra, in Heuesiensi comitatu quaerendus. (h) Tres hos principes Hungariae montes existimant non plane nulli, inter insignia regni Hungariae esse relatos.

§. VI.

(e) Anonym. Belae R. Notarius Cap. 18. Tatur eos vocat apud Schvvandtner l. cit. T. I. pag. 14.

(f) Petr. Bizarus de bello Pannonico loco cit. p. 666. Vltra Danubium, Hungaria, montibus Carpaticis, supra Posonium incipientibus, & longissimo flexu ad litus Euxini maris porrectis, a Moravia, Silesia, Polonia, & a Russia (Galliciam nunc vocamus) distinguitur, vsque ad eum locum, vbi regio est, quam Marmarusiam vocamus &c.

(g) Vertices, qui Morauiam respiciunt, montes albi vocantur, qui Poloniam, Tatri siue Carpatici, Italicasque supereminent alpes, & quascunque alias, Haec Lad. Turocz in Vngaria cum suis regibus. Apud Scepusienses & Liptouienses maxime in altum adsurgunt. Benikoua 3000. fere passuum altitudine excellens specus capaces sinu suo continet.

(h) Huius Anonym. Belae R. Notar. c. 32. meminerit.

§. VI.

In Zolienfi, Liptouienfi, Barfchienfi, Honthenfi, Gömörienfi, ac Scepufienfi comitatibus, non exiguae virtutis eft Carpatus. Aurum praebet, praebet argentum etiam, cuprum, ferrum, plumbum, hydrargyrum, feu argentum viuum, & quae reliqua metallorum funt genera. Quin, & cinnabarim, minium, auripigmentum, lapidem lafulum, terram figillatam, lithargyrum, fulphur, chryfocollam, (Berggrün, auch Borras womit man das Gold löthet) cet. Quae fingula, & bonitate, & copia excellunt. Invenerunt quoque noftri non raro, ad Carpatum, & alibi, virgulta aurea, flores aureos, diuerfaeque fpeciei gemmas, raras non minus, quam pretiofas. (*i*) Fluuii quoqne nonnulli grana auri inter arenam vehunt. Aurum tale, arenofum, feu lauatile vocatur. Celebres eo nomine funt tres Chryfii, qui inde traxerunt denominationem. Apud Liptouienfes, riuulus fimilis ex monte Michalov delabitur. De lacu monti Vifoka vicino, fcribit Ladisl. Turocz in Hungaria, fuis cum regibus, p. 301. trutas ex eo retibus extractas effe, in quarum ftomacho grana auri funt reperta. Sunt quoque, qui dicant, prope Kesmárkinum, carbunculos effe repertos. Iure ergo fcriptores Carpatum, Hungariae Gazophilacium vocant. Magnetem reperias, apud Schemnitzienfes, & ad arcem Murány apud Gömörienfes, Asbeftum, ex quo charta paratur, quam flammae abfumere nequeunt, fuppeditant Dopfchenfes, eodem in comitatu Gömörienfi. Marmor eruitur candidum non minus, quam rubeum, ad oppidum Tatam, & ad Neofolium, alabaftrum multis in locis, fulphur ad Pernek non ignobili in vico comitatus Pofonienfis. Antimonium cry-

(*i*) Recenfet Ladislaus Turocz in Hungaria fuis cum regibus pag. 318. aliquot eiusmodi loca, quae apud eum legi poffunt.

crystallum montanum, & alios lapillos passim reperies. (*k*) Stannum, quo Hungaria caret, Bohemia suppeditat. Aquae in valle dominorum, ad Neosolium, & Szomolnokienses, apud Scepusienses, ferrum iniectum, spatio 3. vel 4. hebdomadarum in aes Cyprium commutant. Sunt vero aquae hae, aere Cyprio saturae & propterea Cypriae (a metallicis Zimmentwasser) vocantur. Sale abundant Hungari praestantissimo, partim naturali, qui apud Maramarosienses ex terrae visceribus eruitur, partim coctili, apud Sarosienses, qua de re, plura suo loco. Ditata est Hungaria vegetabilibus quoque, vtpote gramine, herbis praestantissimis medicatis, quibus inprimis Carpatus superbit, herba Nicotiana, seu tabacco, croco, asparagine, peponibus varii generis, lupulo, frumento, ac legumine omnis generis, fructibus hortensibus, malis persicis, moris, castaneis, atque lignis. Licet vero haec, in locis aliquibus, nostra aetate, deficere incipiant: cura tamen siluarum multa defectui huic occurrere intendunt Hungari. In ora Tibiscana, vbi siluae, vel nullae sunt, vel valde paucae, retrimentis animalium, laterculo, carbonibus, arundine, ac stramine vtuntur. Frumentorum tanta est copia in Hungaria, in primis tritici & auenae, vt, velut Sicilia, Romanorum, ita Hungaria, Austriae granarium, vocetur. At, non Austriacis solum, sed remotioribus etiam regionibus, ingentem copiam frumenti Hungaria vendit. Saepius, in primis tamen anno 177., & 1771. rabida fame Germaniam exagitante, vltra tres milliones metretarum granorum, ex Hungaria, eo euehi poterant.

§. VII.

(*k*) Montes & colles, ex quibus aurum, argentum, cuprum, plumbum, ferrum, sal, minerae, & lapides pretiosi eruuntur, recenset Lud. Turocz l. cit. p. 312. seq.

§. VII.

In comitatu Zempliniensi vbi mitescunt iuga, nobile illud Tokaiense vinum, septem milliarium tractu, nascitur, &, id quidem, a septentrione in meridiem, iuxta Tibiscum. Sed notes, variare multum, quod ora haec fundit, vinum. Optimum est, quod exprimitur ex promontorio Tokaiensi, quod Mézesmal vocatur. Tályense ad illud proxime accedit, Toltsuense diutissime durat, & per maria, remotissimas in regiones, integrum deuehi potest. Zomboriensia vina sunt fortissima, Mádiensia, gustus saporisque gratissimi. Quae, ex vuis passis parantur vina, ad curandos mitigandosque morbos interdum adhibentur. (*l*) Celebre quoque est Sopronienſe, & quod vicini montes suppeditant, vinum; subnectendum eidem, Szaladiense, Insulanum, Baranyiense, Somlyoense, & Quinque-Ecclesiense. Magni quoque faciunt nostri, Budensia, Beregiensia, Musalaiensia, Szeregynensia, Szantouiensia, Miskolcziensia, Agriensia, Heuesiensia, S. Georgiensia, Rétsiensia, Praesensia, Grinauiensia, Vagujheliensia, alia. Nonnullae vineae, vites aureas protruserunt, aliae tinctos auro botros; etiam aurea grana quibusdam in locis sunt reperta. Cereuisia in aliquot comitatibus, ob multa eaque nobilia vina, quae leui pretio haberi possunt, non multum curatur. Vini, quod ex frumento elici solet, & crematura vocatur, maximam copiam Scepusienses parant, & multis comitatibus suppeditant. Conficitur genus hoc potus etiam, cum ex fecibus vini, tum ex prunis dulcioribus, inprimis

(*l*) Primis Ferdinandi I. annis Zempliniensia vina necdum celebria fuere, quod ex Nicolai Olahi, Hungariae suae Lib. I. Cap. 18. §. 1. (recusa vltimum Vindobonae anno 1763. cum eruditis Celeberr. Ad. Franc. Kollár notulis) patet. Varia ingeniosa epigrammata, quibus virtus vinorum Zempliniensium, Borsodiensium, & Abaujvariensium exprimitur, deprehendes apud Samuel. Timon in notione Tibisci. p. 80. seqq.

in partibus regni inferioribus. Aliqui poma & pira ſilueſtria matura contundere, & aqua diluere ſolent, inde genus potus plebi non ingratum enaſcitur. Cumani, ex milio & aqua, potiones, Bozam vocatas, conficiunt.

§. VIII.

In Marmaroſienſi ora inexhauſtae illae regales ſalisfodinae reperiuntur, vbi vulgo ſic dictum ſal gemmae immenſa copia effodiunt, quod Tibiſco demum impoſitum, longe lateque, regni provinciis, ſubuehitur.

§. IX.

Ferarum genera, quae his montibus aluntur, vix enumerauerimus: cerui, damae, caprae, lepores, vrſi, lynces, lupi, vulpes, apri, mures alpeſtres, martes, alces, vri, & quae reliqua ſunt, Carpatum ſuum quaſi occupant. Par & auium ſilveſtrium copia, his montium iugis, contigit. Alit certe Hungaria noſtra, phaſianos, perdices & ſilueſtres & campeſtres, cothurnices, ortygometras, gallinas ſilueſtres, anſeres, anates, ruſticulas, ficedulas, roſtratas, fulicas, gauias albas & cinereas, turdos, ardeas, tetraones, gallos vros, alii vocant, attagines, (alias Francolinos, vt & gallinas ruſticas vocant) criſtatum genus auium, vulgo Kochláts dictum, oſcines, palumbes, ciconias, grues, aquilas, accipitres, &c. Mures Noricos ſolus nutrit Carpatus. Pellis earum nulla patitur inſecta, & propterea, veſtibus itinerariis ſubdi ſolet. Venatus multis in comitatibus adeo liber eſt, vt colonis etiam ipſis admittatur. Pecore & pecude Hungaria abundat, magnamque eius partem vicini, ingenti aere, ab Hungaris redimunt. Equos habent generoſos, celeres, pulchros, laboris patientes, aſinos, mulos, oues, hircos, vervueces, porcorum greges multos in vicinas regiones pellunt, & vendunt.

dunt. Altilia quoque omnis generis in Hungaria in maxima copia proſtant. Apes domeſticae & ſilveſtres ingentia quouis anno examina emittunt, & haec in cauatis arboribus ſe deponere, fauosque conficere ſolent. Mellis ergo & cerae, copiam notabilem habet Hungaria.

§. X.

Lignationem etiam prorſus inexhauſtam, immo & arborum infinita genera, idem exhibet Carpatus. Potiſſimum vero in comitatu Liptouienſi, Aruenſi, & Keſmarkienſi regione, anonymon quoddam arboris genus, vulgo Limbaum dicunt, magni aeſtimatur, eo, quod ſpeciem cedri, non ob eius ſoliditatem ſolum, ſed perennitatem etiam, exiſtimant. Id digniſſimum profecto memoratu eſt, arboris hanc ſpeciem, alibi locorum minime obuiam, nec vermes alere, nec pati tineas. Habet Carpatus alia quoque reſinoſiſſimarum & pinguiſſimarum arborum genera. Huc vero in primis pertinent terebinthus, abies, larix, pinus, pinaſter, cacumina Krivan & Chotſch montium editiſſimorum, quorum alter Liptouienſium eſt, alter vero ſecernit Aruenſem a Liptouienſi comitatu, falcati ligni, ſeu arboris genere, ex quo peculiare oleum Hungaricus balſamus vocatur) paratur, & ad morbos varios curandos adhibetur, memorabilia ſunt. *(m)*

§. XI.

Vbi radices montium Carpaticorum deſinunt, planities incipit. Quae; in comitatibus in primis Peſt, Solth, Heves, Szolnok exteriore, Csongrad, Bács & Bodrog deprehenditur, ita tamen, vt tres priores illi, ex parte quadam; reliqui vero integri, Danubium inter & Tibiſcum, quaerendi ſint.

(m) Herbas & radices medicatas, in quibus locis quaerere debeas, oſtendit Lad. Turocz in Hungaria ſuis cum regibus pag. 319.

§. XII.

Haec Hungariae planities, si longitudinem eius spectaueris, ad 40. excurrit milliaria, si latitudinem 20. nonnusquam efficit. Dum ad confluentes Danubii & Tribisci in cuneum desinit, Iazygum Metanastarum reliquiae, & Cumani minores eam colunt. Sermone hi, moribusque, cum Hungaris conueniunt. Eadem haec ora pingues illos boues alit, quorum annuatim, 120000. circiter e regno aguntur.

§. XIII.

Par regionis vltra Tibiscum, ad Transiluaniam vsque, conditio est. Limites, inde a Maramarosiensi comitatu, vbi Tibiscus oritur, per Szolnok mediocrem, districtum Kövár, comitatum Krasznensem, Bihariensem, Békesiensem, Zarandiensem, Aradiensem, atque Temesuariensem, prolati sinus quosdam montis Carpatici constituunt, diuersis postea nominibus insignitos. Quod residuum regionis ad Tibiscum est, quodque ad occidentem vergit, planissimum est, atque, ob fluuiorum, paludumque copiam, rei pecuariae commodissimum.

§. XIV.

Trans Danubianae regioni, seu proprie sic dictae Pannoniae, eadem, & montium, & frugiferi campestris agri, contigit amoenitas, montibus Cetiis, qui ad fluuium Laitham initia capiunt, indeque in Stiriam vsque protenduntur, territorium, ab Austria, Stiriaque disterminantibus. Tota profecto, ea regio, inde a Croatia & Bosnia, montibus secernitur. In ipso fere meditullio, silua *Bakony*, sita est, quae duodecim quidem in longitudinem, in latitudinem vero 3. 4. immo, & alicubi 5. milliaria, postquam multos complexa est montes, continuatur.

§. XV.

§. XV.

Haec regio, & vini ferax est, & frumenti. Immensam praeterea pecoris copiam alit. Montibus vero, quod bene notandum, salisque fodinis, destituitur.

§. XVI.

Consideratis plerisque Hungariae opportunitatibus, ad fluuios iam describendos accedendum est. Tam nobiles vero ii sunt, vt & regni insignibus inserantur. Praecipui horum sunt:

1. *Danubius*, Hungaris Duna, Slauis Dunag, Germanis die Donau, dicitur, antiqui etiam Istrum vocabant. (*n*) Ab occidente hic ad secundum ab vrbe Posoniensi lapidem, regno adfluit. Inde, ad Posonium, in tria praecipue abit brachia, quorum medium, quod hucdum erat vastissimum, insulam, vulgo Schütt, Hungar. Csallóköz dictam, efficit. Quae, inde a Posonio, vsque Comaromium protenditur.

In tres ea partes dispescitur, media reliquas amplitudine antecellit: ita tamen, vt potior eius pars ad Posoniensem comitatum referatur: vlteriores, quae sunt, insulae, comitatui Comaromiensi; quae vero meridiem spectant, Mosoniensi partim, partim Iaurinensi comitatui, adiudicentur. Ad Comaromiense propugnaculum, tres hi Danubii aluei, inaequaliter licet, iterato tamen confluunt. Vnde demum Danubius, pleno alueo, Strigonium subterfluens, Comaromiensem, ac Strigoniensem comitatum perluit. Postea vero, planitiem egressus, altis se montibus, ad Wissegradum vsque insinuat. Insulam ibidem S. Andreae, vulgo dictam, mo-

(*n*) Sed nonnisi in illa ora, quam Draui, & Saui aquis absorptis, perluit, decurritque in pontum Euxinum. Plinius, Ptolomaeus. Olahus in Hungaria Lib. I. cap. 12. §. 1.

molitur. Hinc demum, sinistro quidem alueo, Waczinum; dextro, Veterem Budam, vnitus denuo, deproperat. Antequam vero eam adluat, leporum insulam, vulgo sic eam nuncupant, facit; quae inter secessus olim regios, excellentissimos quidem eos, habebatur. Nunc, nescio, qua temporum iniquitate, inculta est. Postea, vbi accessit propius, vicissim vnitus, Budam simul & Pestinum praeterfluit. Vix medium ab vrbe lapidem processit, quin denuo insulam Csepely efficiat, quae, aliquot, in longitudinem milliaribus porrecta, egregiis insidetur vicis. Principi EVGENIO, a CAROLO VI. Caesare Augustissimo, amoenissimus hic olim Regum Hungariae secessus, haereditario iure oblatus, post eius obitum, ad dominium fisci regii rediit. Danubius hic, inde a Vaczio profluens, tres vnitos perluit comitatus, Pestiensem, puta, Pilisiensem, atque Solthensem; vsque dum a meridie, Tolnensem, atque Baranyensem; a septentrione vero Bácsiensem & Bodrogiensem, adsequatur. Postea, vbi a septentrione, Tibisco, ab occidente, Drauo, & Sauo, iunctus, procedit: Belgradum subterfluit; atque latere septentrionali, Temesiensem comitatum, banatumque Seueriensem, duodecim milliarium tractu, irrigat, atque ita, regione hac, Seruiam ab Hungaria disiungit. Mappa Danubiana comitis Marsiglii inde a 30. vel 40. annis, magnam passa est mutationem (o)

2. *Tibiscus*, veteribus Tibissus, Pathyssus, Tiscia & Tibisia, Hungaris Tiszsza; Germanis die Theiß; Slauis Tyssa, in comitatu Maramarosiensi, gemino fonte nascitur; quorum dexter niger, sinister albus dicitur. Vterque in altissimo Carpato

sca-

(o) Olahus enumerat in Hungaria sua Lib. I. cap. 4. §. 2. fluuios illos, qui in regno nostro, ab ortu, occasum versus, in Danubium se exonerant.

ſcatet: (*p*) ac, antequam arcem Huſzt & Vgotſenſem comitatum adluit: multos ingenteſque fluuios, recipit;. poſtea vero in comitatum Vnghvár immanat. Vsque eo, montoſam regionem, a ſeptentrione in occidentem, limpidius permanat, (& piſces ſolos alit, qui limpidiſſimis aquis vtuntur.) At, vbi planitiem, pone Zemplinienſem comitatum ingreditur, atque ab oriente fluuio Számos, in Szabolcsenſi comitatu iungitur, turbidus tarduſque, eo tamen piſcoſior, procedit. Inficeta plebs olim dicebat, duas aluei partes, aquas, tertiam piſces occupare. (*q*) Quo propius ad Danubium accedit, eo plures alit piſces, parte illa, quam incolae non conſumunt, porcos ſaginare ſolent. Propterea Tibiſcus, a noſtris, rex fluuiorum vocatur (*r*) Poſteaquam Tokaynum adtigit: in meridiem ſumma vi fertur, ſed lento adeo latoque alueo; vt in quam partem fluat, vix dignoſci poſſit. Hoc habitu, e collimitio Zemplinienſis & Szaboltſenſis comitatus, per confinia Borſodienſis, Heueſienſis, Szolnok exterioris, Csongradienſis, Csanadienſis, & Temesvarienſis, illinc; hinc Bacsienſis, & Bodrogienſis defluit; ac, poſtquam 100. milliaria, Hungarica tamen, emenſus eſt, infra Titul in Danubium influit.

XVII.

(*p*) Niger ſupra pagum, qui fraxinus campus (Körös Mező) appellatur, in monte nigro, (Cserna) a quo denominationem trahit, tres habet ſcatebras. Albi vero quinque, in totidem alpibus ſcaturigines ad orientem ſolem ſunt reiectae. Tim. in Tibiſci notione, pag 21. 22.

(*q*) Galleot. Martii (ſcriptoris ſaec. XV.) de dictis & factis Matthiae regis, apud Schwandtnerum, in ſcript. rer. Hung. Tom. I. Cap. VI.

(*r*) Georg. Werneherus (ſcriptor. Saec. XVI.) de admirandis Hungariae aquis, apud Schwandtnerum in ſcript. rer. Hungariae Tom. I. pag. 858.

§. XVII.

Vltra Danubium ſunt maiores fluuii:

1. *Drauus* (s), Hungaris Draua nuncupatus.

2. *Sauus*, Hungaris Szaua (Zova) dictus. Ambo hi, ab occidente proueniunt. Ille quidem Simegienſem comitatum atque Baranyienſem permanat. Itaque limites Hungariae & Slauoniae conſtituit. Hic, id praeſtat commodi, quod Hungariam a Bosnia Seruiaque diſterminet.

3. *Sár-Viz* olim Sáros dictus, in ſiluis Bakony, ſupra Palotam oppidum; poſteaque manufacto alueo Albae regali quadamtenus adfuſus, fertur verſus Simontornyam, per medium pone comitatum Tolnenſem; vbi demum, Siuo amne auctus, Batham oppidum praeterfluens, Danubio iungitur. (t)

4. *Raba*, ex finibus Stiriae, regno allabitur, perluitque comitatum *Caſtriferrei*. Inde Sopronienſi adfuſus, pergit in comitatum Iaurinenſem. Ibi, ſub ipſis vrbis propugnaculis, exit in Danubium.

5. *Leitha*, in Auſtria natus, limitaneus aliquantiſper, inter Auſtriam & Hungariam immanat: dum, flexo in orientem alueo, per regiunculam comitatus Moſonienſis, ad Ouarinum, Germanis Ungriſch Altenburg, Danubio miſcetur.

§. XVIII.

Eadem Trans Danubiana regione ſunt lacus:

1. *Peiſo*, Hungaris Förtö (u) Germanis Neuſidler See, diffunditur intra Sempronienſem & Moſonienſem comitatum quatuor milliarium longitudine, latitu-

(s) Annonymo Belae R. Notar. cap. 47. Draua.

(t) Cur Sár-Viz vocetur, ſi velis cognoſcere, adeas Ludouic. Tubero (qui initio Saec. XVI. ſcripſit) in commentar. de tempor. ſuis Lib. 1. §. 17. apud Schwandtner l. cit. pag. 132.

(u) Anon. Belae. R. Notar. cap. 50. Ferteu.

titudine duorum. Pelſonem etiam aliqui ſcriptores vocant. Habet, aetate noſtra, paucos piſces, neque illos praeſtantes, magnam tamen arundinis vim, tuguriis ruſticorum tegendis, focisque fouendis, peropportunam. Ex aquis eius capiunt incolae coniecturam, adoleſcente aeſtate, vindemiam, aquis accreſcentibus, ſterilem, decreſcentibus vero, largam expectant. Emittit amnem Rábczám, qui, ad Iaurinum, cum Danubio confluit.

2. *Balaton*, Germanis Blatten-See. (x) Stagnat inter comitatus, hinc Szaladienſem & Veſzprimienſem, illinc Simigienſem; longus milliaria 12. latus 2. paſſim & ſesqui, extra modum piſcoſus. (y) Ex eo demum, amnis Siuo praecipiti alueo emanat.

§. XIX.

Intra Danubium & Tibiſcum, notari merentur amnes:

1. *Marus* Marchus, Moraua, qui, Hungariam, a Morauia & Auſtria ſeparat, & in ora Déuénenſi in Danubium ſe exonerat.

2. *Vagus*, Hungaris Vág Viz, Slauis Wáh, Germanis die Waag, veteribus Cuſus, in Liptouienſi comitatu naſcitur, in Carpati radicibus, qua is maxime incipit adtolli. Geminus hic quoque fons, vltra vicum Vázetz. Infinitis propemodum riuis & torrentibus, vltra Liptouienſem comitatum, auctus, ſub monte Fatra, Germanice der Vater, in Thurocziénſem comitatum elabitur; quem, vbi ſepten-

(x) Anon. Belae R. Notar. cap. 49. Bolotuas

(y) Tubero exiſtimat Balathon Illyricam vocem eſſe, denotareque aquam ſtagnantem, in commentario de temporibus ſuis, vbi Libr. IV. §. 5. ſcribit, patere latitudinem eius 70. longitudinem vero 490. ſtadia. Idem quoque exiſtimat, eundem eſſe illum, quem Plinius Peiſonem vocat. Hac in re errat. Alit piſces praeſtantes & in primis ingentem arundinis copiam.

tentrionali ora ſtrinxit, accepto iam ante amne Oraua, confragoſa valle, fertur in comitatum Trentſchinienſem. Huc vsque, ex aquilone in occidentem vehebatur; ſed, vbi Solnam, Germanis Sillein, oppidum praeteruectus eſt: curſum, vltra arcem Budetin, in meridiem flectit. Secat comitatum Trentſchinienſem fere medium, adlabiturque liberae ac regiae vrbi Trentſchinienſi: dum infra Vág-Vjhely, Germanis Neuſtädtl an der Waag, in comitatum Nitrienſem euadit. Huc, vbi peruenit, Leopoldipolim dextro, ſiniſtro margine, Galgocz, Germanis Freyſtädtl, adtingit. Poſtea, perpetuus fere comitatus Poſonienſis diſterminator eſt: dum in ramum Danubii ſeptentrionalem exit, ac demum, Comaromio ſuffunditur. Rapidiſſimus amnis, & frequenti eluuione, adſitae regioni, damnoſiſſimus.

3. *Granus*, Hungaris Garam, Gran, & Granua, Slauuis Hron, Germanis die Gran in comitatu Gömörienſi, ſub nobili illo monte regio, Slaui Kralowa Hora dicunt, oritur. Poſteaquam regione illa, aliquot proceſſit milliaria: in Zolienſem comitatum immanat, & liberam regiamque ciuitatem Brezno-Bányam, praeterfluit; vsquedum ad Neoſolium accedat. Vnde Vetuſolium verſus, flexo tamen alueo, fertur. Per vallem Barſchienſi comitatui adlapſus, oppidum S. Crucis, mox oppidum, quod in diplomatibus, conuentus S. Benedicti iuxta Gron, dicitur, atque veterem & nouam Barſch, adluit. Poſt haec, vbi comitatum Strigonienſem pererrauerat: medio a munimento Gran milliari, in Danubium exit. Inde, a fontibus, vsque ad exitum in Danubium, 24. milliaria, praecipiti curſu emenſus.

4. *Ipola*, Hungari Ipoly, Germanis die Eupel, in iis comitatus Neogradienſis montibus naſcitur, qui in ſeptentrionem vergunt. Fertur demum in meridiem, vsquedum medio a Strigonienſi caſtro milliari, in Danubium, aduerſa ripa mergatur. Dum

intra

intra montes vehitur, limpidus eſt; limo inquinatus, qua planam regionem pererrat.

5. *Zſzagyva*, in radicibus montis Mátra editus, labitur, pone oppida, Paſztó & Hatvan. Interluit poſtea oppidum Jáſz-Berény. Fertur inde, campeſtri alueo; exitque in Tibiſcum, ad Szolnok propugnaculum. Fontes in Neogradienſi ſunt comitatu. Reliquum fluminis Heueſienſem, & Szolnokienſem comitatum pererrat. Siccis aeſtatibus, tam eſt aquarum inops; vt alueum prorſus exſuctum relinquat ſiticuloſumque. (z)

6. *Sajó* habet capita apud Gömörienſem comitatum. Vnde, per Borſodienſem, acceptis innumeris amniculis, praeceps labitur; rigatoque copioſo oppido Miskoltz, tandem Tibiſco mergitur, curſu ex occidente aeſtiuo, in orientem porrecto. (*a*) Vltra ſunt:

7. *Hernad*, apud Scepuſios editus, & variis commixtus amnibus eo nobilis, quod Caſſouiae ſuffundatur, antequam Tibiſcum ſubeat. (*b*)

8. *Bodrogh*, Zemplinienſis comitatus amnis, confluit cum Tibiſco, ad Tokainum.

9. *Vngh*, cognominis comitatus fluuius, ex Carpato, Galliciae diſterminatore, deiectus, eadem illa, qua ortus eſt, regiuncula, exit in Tibiſcum flexuoſo tramite, ex aquilone in meridiem defertur.

10 *Laborcza* & *Latorcza*, eiusdem Vnghenſis comitatus, vndoſi, rapidique amnes a Tibiſco ab-

(z) Fluuius hic erit, quem anon. Belae R. Notar. cap. 32. Zogea vocat, capite vero 35. Zytva.

(*a*) Anon. Belae R. Notar. cap. 31. Souvan, quem alias etiam Miscouczy (vnde forte Miscolcz) appellatum addit. Non eſt ille confundendus cum Sájo Tranſyluano, de quo Timon in Tibiſci notione, p. 14.

(*b*) Videtur idem eſſe, quem anon. Belae R. Notar. cap. 32. Naragy vocat.

abſcorpti. Vt iam, Marmaroſienſes amnes taceamus.

§. XX.

Trans Tibiſcum, ex Carpato & Tranſiluaniae collimitio orti, feruntur ab oriente, in occidentem brumalem, miſcenturque Tibiſco, ſunt vero:

1. *Számos*, latine Samoſius, oritur in Tranſiluania; indeque egreſſus, fertur per diſtrictum Köuarienſem. Poſtea, comitatum Szathmarienſem ſubit ibique, Szathmár, & Némethi coadunata oppida, inſulam molitus, circumfluit; inde in Szaboltzenſem comitatum effuſus, in Tibiſcum influit.

2. *Kraſzna*, in Kraſznenſi comitatu oritur; eoque irrigato, exſpatiatur ad Szathmarienſem; & poſtea, paluſtri admodum alueo, in Szaboltsenſem prouehitur, vbi demum, cum Samoſio confluit.

3. *Fekete-Keres*, alii Körös ſcribunt, latine, niger Chryſius (c) naſcitur in comitatu Biharienſi. Vnde profuſus in Zarandienſem illabitur, multorum amniculorum incurſu turgeſcens. Hic, vbi aliquantisper demanauit, miſcetur.

4. *Fejér - Keres*, ſeu albo Chryſio ex Tranſiluania elabenti. Longo is tractu, regionem Zarandienſem interluit: dum, ad Gyulam, comitatui Békeſienſi ſe infundat; indeque ad Csongradienſes delatus, aduerſa Csongrad oppido ripa, Tibiſco immergatur. Qua intra montes labitur, aureas vehit arenas, hinc & Chryſii nomen. (d)

5. *Se-*

(c) Anonymo Belae A. Notario cap. 22. Cris. Timon exiſtimat, in Tibiſci notione. p. 10. Criſios fluuios hos denominatos eſſe, ex vernacula voce Körös.

(d) Non ramenta tantum auri, ſed maſſulas etiam magnitudine, ad piſum, auellanam, caſtaneamque nucem accedentes, aliquando eum vehere, & propterea, Hungarica voce, Arany etiam vocari notauit Werneher, loc. cit. pag. 858.

5. *Sebes-Keres*, i. e. Velox Chrysius itidem apud Biharienses editus, atque vltra oppidum Békes, vtrique illi Chrysio coadunatur, eodem alueo, quem nunc diximus, euadit in Tibiscum.

6. *Berettyo*, ramus quasi quidam Tibisci; sinuoso alueo ex lacustribus vndis, apud Biharienses, & Szaboltsenses, natus.

7. *Maros*, latine Marusius, fontes in Transiluania habet, Hungariam vero, in Aradiensi comitatu subit, cumque hic, olim Temesuariensi prouinciae, limitaneus demanasset, Csanadiensem comitatum perluit, ac postea, ibidem, in Tibiscum incurrit. Fluuius hic, prisca aetate, Marocz, Marisus, & Marisia vocabatur.

8. *Temes*, insignis amnis, quique comitatui, quin & arci, nomen impertiuit: tametsi ad duo milliaria, inde seiunctus manet. Hi sunt memorandi Hungariae fluuii. Reliquos percensere, operis foret infiniti. Non sunt hic subticendi pisces, quos maiores, minoresque fluuii incolis suppeditant in copia. Et Danubius quidem alit primum antaceos, quos, ex Ponto, in Danubium exire, & vsque Posonium multi ascendere existimant. Hungari genus hoc piscis, lingua patria Vyzam, Germani, Huzones, Hausen vocant. Sunt pisces hi, non ossibus, sed cartilaginibus, compacti, & interdum vnus 10. etiam centenarios ponderat. Alit praeterea, lucios, qui & lupi, carpiones, seu cyprinos, strutiones, sturiones, seu asturiones (ein Stör, Tok, kecsege) quos forte Plinius Lib. IX. Cap. 15. pelamydes & thynnos vocat, silurum, (ein Scheiden,) quem nostri Harcsam adpellant, anguillas, orfos, lucioperias, castores, barbones praestantissimos, &c. Reperiuntur hi pisces, etiam in Tibisco, & aliis fluuiis. Tibiscus quidem plures suppeditat, quam Danubius sed non ita sapidos, praestantesque. Vagus, Salmones, (Salm, Lachs,)

Lachs,) nobile piscium genus, nutrit, vna cum Poprado Scepusiensi. Trutarum (eine Forre, Forelle,) multi minores fluuii, inprimis septentrioni obiecti, limpidique, sunt feracissimi. Fundulorum quoque, muraenarum, alburnorum, thymallorum copia est multis in riuis. Ipsae, quod mireris, thermae, alias calidae nimium ad Budam, pisces habent, qui, si in frigidam transponantur aquam, repente exspirant. Cancros nullo non in comitatu deprehendes. Mosonienses eosdem curribus Vindobonam subuehere solent.

§. XXI.

Tota alioquin Trans-Tibiscana regio paludibus scatet, quae, auibus aquaticis, & id genus animalibus, refertae sunt.

§. XXII.

Hungaria, generatim tota, res multas continet, admirationis maximae. Vt sunt: antra, in quibus adulta iam aestate, gelu reperitur; fontes mirandorum effectuum; subterranei, piscosique simul fluuii. Inprimis vero thermis excellit Hungaria; quarum praecipuae sunt: Agrienses, in Heuesiensi; Budenses, in Pilisiensi; Strigonienses, in Strigoniensi; Tatenses, in Comaromiensi; Wihnenses, & Szklenenses, in Barschiensi; Stubnenses, in Thuroczienfi; Lutskenses, in Liptouiensi; Trentschinienses, in Trentschiniensi; Biliczenses, & Pösthényenses in Nitriensi; Raietzenses, in Trentschiniensi; Ribarienses, in Zoliensi, & denique, Magno-Varadienses, in Varadiensi, comitatibus. Est quoque frigida multis in locis, quam, si calefacias, & in balneum conuertas, eum usum adfert, quem aquae natiuo praeditae calore. In Scepusiensi comitatu, potissimum, ad capitulum, est aqua multum calcinosa; in Bankone ad Cassouiam ferrea; apud fanum S. Georgii, Posoniensi in comitatu, sulphurea. Szomolnokini aqua est, qua fer-

ferrum in cuprum, quod cementum vocant, conuertitur. Reditum namque hoc purius purgatiusque per ignem, cuprum dat praestantissimum. Vitriolum praeterea, quod graeci chalcantum nominant, aquae suppeditant Scepusienses. Duplex illud est, factitium aliud, aliud natiuum. Nec desunt Scepusiensi, & aliis comitatibus, aquae, quibus ligna in lapidem conuertuntur. Legas Georg. Wernheri de admirandis Hungariae aquis commentarium. (e)

XXIII.

Aër Hungaricus, in montana, quam in campestri regione cumprimis, quae fluuio Tibisco interluitur, multo est salubrior. In hac namque, propter effluuia, quae ex paludibus, & stagnantibus aquis, noxia plerumque, vel hominibus, vel pecori, ascendunt; est perniciosus.

§. XXIV.

Eadem & aquarum est conditio. Fontes amnesque, qui in montibus reperiuntur, limpidi sunt, immo & maxime salubres; qui vero ad metallifodinas scatent, sabulosi ii, & ob mineralium effluvia, hinc & inde, strumis procreandis, idonei. Nec sua planitiei deest salubris aquae copia; vt innumeras taceam acidulas. Fatendum tamen est, multis in regionibus Hungariae, aquam salubrem desiderari. Qui acidas fundunt aquas fontes, quouis fere in comitatu deprehenduntur. Notandi sunt, prae reliquis, Tarcsenses, in comitatu Castriferrei ad Szalanokinum, & Tihanyenses, valde salubres, Füredienses in comitatu Szaladiensi, in comitatu Zoliensi, cum ad arcem cognominem, tum ad montem Királyhegy, qui spleneticis inprimis cum

(e) Lad. Turocz. in Vngaria cum suis regibus pag. 289. seq.

eum fructu propinari solent. Post hos, Leuenses, Sároßienses, Scepusienses, Liptouienses, Trentschinienses, & alii, sunt celebres. Sunt quoque alii, qui vim medicam habent, licet puri sint & limpidi, non acidi. In Beregiensium ora, supra Munkatsinum, est fons qui articularibus inprimis morbis curandis est aptus, somnumque elicere solet. Eandem vim habet, sed inprimis podagricis & paralyticis proficuus esse dicitur, qui in ora Vngensi, ad oppidum Szobrancz, stagnat. Apud Cassouienses, inter moenia vrbis & regiam nitrati pulueris molam, erupit anno 1706. fonticulus, qui, miram bilem euehendi habet virtutem, calefactusque, ex pedibus extrahit dolorem. Vide Werneher l. cit. Sed, neque desunt aquae perniciabiles mortemque inferentes. Ad arcem Sárosiensem duos deprehendes fontes, qui, & aues enecant, & maiora pecora, si quid ex illis, aquarum hauriant. Ad radices Carpati, versus Scepusium, quas terra eructat aquas, solis volucribus nocent. Ad pagum Ribar, Zoliensi in comitatu, cauerna est, aquis repleta, quae, & auibus praeteruolantibus, & accedentibus propius animantibus, certum adferre solet exitium. Szentiuanienses quoque, apud Liptouienses, penes coemeterium, talem habent fontem, cuius tamen aquae, ad scabiem & morbum, quem gallicum vulgus vocat, depellendum, multam vim habere dicuntur. (f)

§. XXV.

(f) Plura, si legere placeret, suppeditaret, Ladisl. Turocz in Hung. cum suis regibus, pag. 299. seq.

§. XXV.

Si Poli Eleuationem, in Hungaria considerare voluerimus: ad 48. gradum, ea, procurrit. Nos eam, in praecipuis Hungariae locis, secundum Samuelis Mikovini, obseruationes adponimus.

	Grad.		Min.
Posonii - - -	48	-	8.
Schemniczii in montanis - -	48	-	29.
Cremniczii - - -	48	-	44.
Trenchinii - - -	48	-	53.
Budae - - - -	47	-	24.
Bajae - - - -	46	-	10.
Szegedini - - -	46	-	11.
Szolnokini - - -	47	-	9.
Agriae - - -	48	-	
Belgradini - - -	44	-	56.
Eperiesini - - -	48	-	45.
Szathmarini - - -	47	-	25.

§. XXVI.

Supereſt adhuc, vt tam de latitudine, quam longitudine Hungariae, quidpiam commemoremus. Et latitudo quidem Hungariae geographica, gradus occupat plus quinque, id eſt, a 45. vsque ad 50. Longitudo autem, gradus ſeptem occupat, id eſt, ſi primus meridianus, in inſula Ferro conſtituatur, a 40. vsque ad 47. Longitudo itaque ſimul & latitudo, ipſius Hungariae, quacunque demum, milliaribus Germanicis, computetur, 80. circiter milliaria abſoluit. (g)

MEMBRVM II.

DE POPVLIS, LINGVA, STATV SACRO, ET CIVILI HVNGARIAE. (*)

§. I.

Habet Hungaria varii generis incolas. Principem, inter eos, a ſaeculo IX. tenent locum Hungari, quibus Cumani quoque atque Jazi (vulgus Jazyges vocat) adnumerantur. Vtuntur illi lingua Hungarica, nullas admittente dialectos. Germani, in Hungaria, in vrbibus inprimis & oppidis ſe depoſuerunt, multumque, dialecto & moribus variant. Pertinent ad eos Auſtriaci, Bauari, Stirii, Franci, Sueui, Rhenani & Saxones, qui antiquiſſimi in Hnngaria eſſe putantur. Slauici populi magnam partem Hungariae occupant, & in Boemos, Croatas, Seruios, ſeu Raſcianos, Venedos,

(g) Nicol. Olah Lib. I. Hung. cap. 4. ſcribit, Hungariam, tempore ſuo (h. e. ante cladem Mohacsienſem) a. 41. vsque ad 49. gradum, in Longitudinem porrectam fuiſſe, in latitudinem vero a 43. vsque ad 51. gradum.

* Membrum hoc in prioribus editionibus non deprehenditur.

dos, & Ruſſos, ſeu Ruthenos, diuiduntur. Valachi, ſeu Olahi, in Tranſiluania, & Hungaria eidem vicina, deprehenduntur. Neque Galli olim deſiderabantur. (*a*) Excipiunt praeterea Hungari, hoſpitio Graeci ritus homines, ex Turcia quaeſtus inſtituendi cauſſa aduentantes, quorum tamen plurimi in Hungaria domicilium figunt. Dantur praeterea, Judaei multi, qui etiam mercaturae ſunt dediti, ab vrbibus tamen & oppidis, in quibus metalla eruuntur, arcentur. Olim, multis in locis, iuribus ciuitatis vtebantur. Zingarorum (Cziganorum) ingens erat antea in Hungaria multitudo. Genus hoc hominum incertae originis, vagum, incultum, otioſum, furtis inprimis adſuetum, nullas ſedes fixas habens, auguſta regina & ordines regni, ad culturam agrorum & opificiorum, adſtringere intendunt, dominicaeque poteſtati ſubiecerunt. Venturum eſt proxime tempus, quo, ex inutili genere hominum, Hungaria, opifices, colonos & inquilinos induſtrios, eſt habitura, nomenque Zingaricum interiturum. Plurimi, inter eos, muſicam & fabrilem rem tractant. Ante annum 1418. Hungaris ignoti fuiſſe dicuntur. (*b*) Hungari, Germani, & Slaui, indigenae vocantur, &, qui liberi inter eos ſunt, ad populum (regnicolas, ſtatus & ordines regni) pertinent, reliqui ad plebem. Praeter hos, qui ſunt in regno, externi, extranei, atque in diplomatibus decretisque regni, forenſes appellantur. Tota Hungaria, cum banatu Temeſienſi ad regnum reducto, 3200000. propemodum animas, habere perhibetur.

(*a*) Nicolaus Olahus, in Hung. Lib. I. cap. 19. p. 91. & Eru. ditiſſ. ac Clar. Georg. Pray, in diſſertat. in annales veteres Hunnorum, Auarum, diſſert VII. p. 166.

(*b*) De his Nicol. Iſtuanffi in hiſt. Hung. Lib. V. p. 73. in primis auctor prolixae commentationis, in wienerischen Anzeigen in V. und VI. Jahrgang.

§. II.

Diuersi Hungariae populi quadruplici inprimis lingua vtuntur. Hungarica prima est, quae, cum Finnica, Lapponica, Aestionum, Syrannorum, Permiorum, Morduinorum, Tscheremissiorum & aliorum populorum, magnam dicitur habere cognationem. (c) Altera est Germanica, quam, aetate nostra, plurimi Hungari, inprimis nobiles, diligenter excolunt. Haec vero non minus, quam Slauica, in varias abit dialectos, quod, non parum difficultatis illis adferre solet, quibus negotia, in diuersis regni amplissimi partibus, sunt perficienda. Valachorum lingua ad Italicam & Latinam propius accedit. Latinam, ea inprimis de caussa Hungari excolere necessum habent, quod, in congressibus conuentibusque publicis, foris, tribunalibusque, eadem vtantur. Zingarica, ex Valachica, Slauica, Hungarica, & aliis linguis, conflata esse creditur. (*d*)

§. III.

Perducti sunt Hungari ad religionem Christianam amplectendam, opera inprimis Pilgrini, S. Adalberti, & aliorum virorum sacri ordinis, qui, Geysa, & filio eius S. Stephano, gubernacula Hungariae sustinentibus, ex vicina Germania & Italia in Hungariam venerant. S. Stephanus, praeter abbatias, praeposituras, templa magnifici operis, & monasteria, nouem episcopatus fundauerat, & archi-

---

(c) Jo. Eberhardi Fischeri quaestiones Petropolitanae (Göttingae 1770 p. 18. 19. seq.) Joan. Sajnovits in demonstratione idiom. Hungarorum & Lapponum idem esse p. 111. & Pray in dissert. in annales veteres Hunnorum, Auarum. & Hungarorum dissert. III. sequent.

(*d*) Curiosum lectorem placet remittere, ad privilegirte wienerische Anzeigen im V. Jahrgange.

archiepiscopi Strigoniensis imperio sacro subiecerat. (e Graeca religio, coetus etiam aliquos in Hungaria, saeculo XI. & sequent. coëgerat, templaque ac monasteria consecuta videtur, in illis inprimis prouinciis, quae, Graeco imperio, vicinae fuerant. Graeci ritus homines, aetate nostra, aliqui vniti sunt, seu catholici, alii dissidentes, seu non uniti. Vterque ordo habet in Hungaricis ditionibus suos episcopos, &, ille quidem, Munkatsiensem, Budensem, & Magno-Varadiensem, hic vero Budensem alterum, Aradiensem, atque Neoplantensem. Hi, Carlouicensi, in Sirmiensi Slauoniae prouincia residenti metropolitae subsunt, &, synodos suas, interdum regia auctoritate celebrant. Libertates eorum, a Matthia I. & compluribus regibus, praecipue vero a Leopoldo imperatore anno 1690. confirmatae sunt.

Anno 1521. & sequentibus, Martinus Lutherus, multos asseclas in Hungaria est consecutus, post aliquot vero tempus, etiam, Joannes Caluinus. Augustanam confessionem profitentes, euangelici protestantes, & nunc etiam acatholici vocantur. saec. XV. Hussitae in Hungaria superiori se deposuerant. Anabaptistae ad annum 1761. in Posoniensibus, Nitriensibus & Trentsiniensibus agris se conseruauerant, eodem tamen anno, finem sectae eorum in Hungaria, Franciscus Barkoczi Strigoniensis archiepiscopus adferebat. Judaei, in oppidis & pagis, in synagogis, quas indulgentia dynastarum erigunt, rem sacram faciunt. Sunt illi dominicae potestati subiecti, &, regi, qui eos tolerat, censum annuum soluunt.

§. IV.

Studia litterarum in scholis variis Romano-Catholicorum & Euangelicorum traduntur. Saec. XVII.

(e) Disputat de his P Samuel Timon in imagine nouae Hungariae cap. 8. Pray in differt. critica, de S. Ladislao rege Hungariae & in specimine hierarchicae Hungaricae P. I. & II.

XVII. & XVIII. plurimas ſcholas Jeſuitae habebant; poſt eos, patres ſcholarum piarum in iuuentute ſcholaſtica, in ſtudiis cumprimis humanioribus inſtituenda, plurimum operae ponebant, &, de ſcholis bene mereri porro pergunt. Dominici quoque, Praemonſtratenſes & Pauli eremitae familiae, in monaſteriis ſuis ſcholis gaudent. Vniuerſitatem Romano-catholici, Tyrnauiae habebant, in qua, theologica, & philoſophica ſtudia, partes etiam iuris aliquae 100. & quod excurrit, annis, tradebantur; ab anno tamen 1769. omnes iuris ac medicinae partes, & omnia illa ſtudia, quae Vindobonenſi in vniuerſitate, eademque ſimul methodo, docentur. Anno 1777. vniuerſitatem hanc auguſta regina Budam transtulit, in regni meditullium, idque inprimis ea de cauſſa, vt Hungari non minus, quam Tranſiluani & Slauonii, eo commodius ſeueriores diſciplinas, in vrbe hac, excolere poſſint. Poſt vniuerſitatem hanc, Tyrnauienſes, Caſſouienſes, Varadienſes, & Iaurinenſes ſcholae, in maxima ſunt celebritate, academiarumque nomine ſunt inſignitae. Explanantur in illis, philoſophicae diſciplinae, iuris & ſacrae theologiae nonnullae partes. Sua namque cuiuis circulo regni academia eſt adſignata. Poſt has, triplicis ordinis auguſta anno 1776. per regnum publicato edicto, conſtituit, & ſapienter inſtruxit gymnaſia. Anno 1763. Szenczii in oppido comitatus Poſonienſis, Vaczii vero anno 1768. ſcholae equeſtres ampliſſimae, ſumtu & munificentia auguſtae reginae, erectae ſunt, in quibus bellicae & oeconomicae artes eleganter ac erudite oſtenduntur. Prior anno 177-. cum maiore oppidi parte fatali incendio in cineres conuerſa eſt, ſcholaeque Tatam in Comaromienſem comitatum translatae. Proſtant ſcholae etiam aliae in Hungaria, epiſcoporum liberalitate fundatae, inter quas, Agrienſis eo nomine memorabilis

eſt,

est, quod in ea iuuentus patria, in iure ciuili patrio instituatur. Laboratur nunc sedulo, vt, in omnibus scholis Romano catholicis, quae in ditionibus Austriacis sunt, ita etiam, Hungaricis, in florem maiorem euehendis, quod ex libro Augustae auctoritate confirmato, cuius titulus: ratio educationis totiusque rei litterariae per regnum Hungariae & prouincias eidem adnexas, &c. 1777. euulgato, in primis cognoscitur.

Euangelici, in scholis & gymnasiis suis, studiorum ponunt fundamenta, aliqui demum, iuri, medicinae, atque mathesi, Vindobonae, aut Budae, dant operam; theologica vero studia, in Germaniae, Belgii foederati, aut Heluetiae academiis excolunt.

§. V.

Occupationes Hungarorum variant. Nobiles litteris, militiae, reique familiaris procurationi sunt dediti. Artes, opificia, & negotiationem, ciues in primis exercent. Graeci, Rasciani, & Judaei, solo fere quaestu victum quaerunt. Agrestes homines, agriculturae, reique pecuariae in primis dant operam. In architectura, pictura, atque musica, Hungari hucdum non tantas fecerunt progressiones, quantas aliae nationes, quod bellis continuis, quibus cum Turcis inuoluti fuere, tribuitur. Architecturam tamen genti nostrae non displicere, ex magnificis templis, castellis, aedificiisque publicis plurimis, facile est colligere. Maria Theresia, vt omnes artes liberalitate summa nutrit, ita, Hungaris quoque, splendorem aedificiorum efficacius commendat. Eminent, prae reliquis, magnificentia, arces, Posoniensis, Budensis, Eszterhazia, in prouincia Soproniensi, aliae. Loco granariorum, vtuntur nostri, in multis comitatibus, foueis subterraneis, in quibus magnam granorum vim, per complures annos conseruant. Suppeditant Hunga-

ri,

ri, vicinis regionibus, vinum, crocum, cuprum, ferrum, mineras varii generis, pecus, corium, lanam, seuum, ceram, herbam Nicotianam, inprimis tamen frumentum, cuius Hungaria est feracissima. Ab extraneis accipiunt aromata, stannum, oleum, saccharum, pannos laneos, & bombicinos. Aliquibus in locis, arte iam multa diligentius, quam prioribus temporibus, parare incipiunt.

§. VI.

Moneta in Hungaria sequens est in vsu:

1.) Denarius, in Hungaria inferiori, quinta, in superiori, sexta grossi, Rhenensis floreni, ibi 100. hic 120. pars.

2.) Grossicula (ein Gröschel,) quarta pars grossi, Rhenensis floreni octuagesima.

3.) Cruciferus, tertia grossi, Rh. flor. sexagesima pars.

4.) Poltura, seu semigrossus, duarum grossicularum valorem habens. Omnes hi numi, ex aere cyprio, ab anno 1765. cuduntur, antea vero ex argento. Dantur, quoque minoris formae nummuli, quorum aliqui medium denarium, alii medium cruciferum valore aequant. Ex argento cuduntur:

1.) Grossus. (ein Groschen, Kaisergroschen) vicesima Rhen. floreni pars.

2.) Quinarii, quorum vnus cruciferos quinque valet.

3.) Septenarii, qui olim quinque cruciferos aequabant, & propterea, quinarii vocabantur, nunc septem cruciferis pares sunt.

4.) Decenarius, decem cruciferos valens.

5.) Marianus, ab icone B. Virginis Mariae, quae in auersa parte eius exprimebatur, denominationem trahens, 17. Xferis nunc, olim 15. Xferis redimebatur.

6.) Vicenarius, 20. cruciferos, &

7.) Se-

7.) Semiflorenus, 30. cruciferos valens. Noti quoque sunt:
8.) Floreni Rhenenses, 20. grossos in se continentes.
9.) Vnciales, seu duplicati floreni (bifloreni) Joachimici alias, vt & solidi thaleri, dicti:
10. Thalerus, seu sesqui florenus, mente tantum concipitur, reipsa non prostat, & 30. grossorum valor ei tribuitur. A Rhenensi, Hungaricus, florenus differt, sed, qui etiam imaginarius tantum est. Est autem ille triplex. Primus quidem cruciferos 49. & medium, valet, ab Hungaris breuis florenus (Kurta forint) vocatus; alter ordinarius, 50. cruciferis aestimatus; tertius maior, Hungaris Vonyás forint dictus, vno crucifero priorem superat, & tres Marianos nummos pretio aequat. Recentioribus edictis regiis, ordinis melioris in commercio conseruandi caussa, vsus florenorum Hungaricorum est prohibitus. Prisca tamen aetate, Hungari, hungaricis, non Rhenensibus denariis & florenis vtebantur. (*f*) Aurei nummi, quadruplicis ordinis sunt in vsu, apud Hungaros. Primi quidem valore & praestantia sunt Cremniczienses, ita, ab vrbe, in qua cuduntur, denominati. Redimi solet vnus, apud Hungaros, Rhenen. flor. 4. Xf. 18. Alii sunt Nagybanyenses, a Nagybanya vrbe regia superioris Hungariae, vbi parantur, ita dicti, qui pretio Germanicos, seu imperiales aureos, aequant, & cruciferis duobus sunt Cremniczienfibus inferiores. Illi litteris K. B. hi vero: N. B. insigniti sunt. Tertii ordinis sunt Belgici, quorum aliqui, ad sesqui Hollandicum, alii, ad tres Hollandicos accedunt. Hos souverain, illos halbe souverain ducatos vocamus. Prioris ordinis aureus Rf.

6. Xf.

(*f*) Elucet id ex diplomatibus multis, & decretis regum Hungariae.

6. Xf. 20. valet, posterioris vero Rf. 12. Xf. 40. Quarto loco Belgii foederati, seu Hollandici aurei sunt commemorandi, quorum quiuis in Hungaria Rf. 4. Xf. 14. valet. Neque tamen Hollandici, neque Belgici, (Souverain, halb Souverain) in Hungaria parantur. Officina, pro moneta aurea, argenteaque procudenda, Cremniczii, & Nagybanyae est, pro cuprea vero Szomolnokini apud Scepusienses. Occurrit praeterea, in iure Hungarico, saepe mentio marcarum, de quibus etiam nonnihil monendum erit. Est vero, apud Hungaros, duplex marca, alia monetalis, alia iudicialis. Ista iterum, vel grauis est ponderis, quatuor Rf. vel leuis ponderis, vno Rf. aestimata. Illa peraeque duplex est; auri videlicet quae 311. flor. 48. Xf. interdum tamen 312. flor. 33. 2/3. crucif. redimitur; (die hohe Goldzahlung) & argenti, cuius solutio ordinaria Rf. 19. Xf. 12. extra ordinaria vero (die hohe Silberzahlung) Rf. 21. Xf. 20. constat. De piseto quoque nonnihil subnectere licet Pisetum, Hungaris Nehezék, ab Italico, vt aliqui existimant, Pisetto, pondusculum est 48. pars marcae, quae archiepiscopo Strigoniensi, ex aerario Cremniciensi olim dabatur. Pisetarius homo erat archiepiscopi Strigoniensis, ad officinam monetariam illocatus, Cremnicii, qui, regis & regni auctoritate, in eo curam ponebat, vt pecunia iusti ponderis & valoris, ibi cuderetur. (g)

§. VII.

Regem Hungariae oportet sacris Romano-catholicis esse addictum. (*h*) S. Stephanus per id, quod

---

(g) Caroli I. Sigism. Decr. II. art. 15. Lud. II. Constit. Budens. 1521. art. 19.

(*h*) Decr. anni 1723. 2. §. 7.

quod gentem suam ad Christum perduxit, nouem episcopatus, vnum archiepiscopatum, abbatias, praeposituras, templa, & monasteria fundauerat, dotaueratque, apostolicus rex a pontifice Romano meruit nominari. Titulum hunc, Clemens XIII. pontifex Romanus, augustae reginae Mariae Theresiae, eiusque heredibus & successoribus in regno, litteris apostolicis adseruit. Ad clenodia regni pertinent: sacra corona, sceptrum, pallium, seu palludamentum, chirothecae, calceamenta, globus, seu pomum aureum, seu gladius regius, de quibus Martinus Schmeiczel; peculiarem commentarium conscripsit. (*i*) Vtuntur his reges nostri, dum coronantur. Cura eorum & custodia, duobus proceribus est demandata, qui conseruatores S. coronae vocantur, &, in publicis conuentibus, post regni barones, locum occupant. Insignia regni Hungariae, scutum perpendiculariter diuisum, sistit. In quo, area dextra rubro colore, quatuor fascias, quatuor praecipuos Hungariae fluuios denotantes ductibus argenteis expressos; sinistra, rubra peraeque, argenteam crucem duplicatam, triplici colli viridi insistentem sustinet. (*k*)

§. VIII.

Regnum Hungariae est hereditarium, &, ab anno 1687. ad ius primogeniti heredum & posterorum masculorum Leopoldi, imperatoris reuocatum.

(*i*) Recusus est, & Tom. II. Schwandtneri script. rerum Hungaricarum insertus. Saeculo integro, ante Schmeiczelium explicauit haec insignia illustrissimus comes, & custos sacri diadematis Petrus de Reva in commentario de sacra corona regni Hungariae, apud Schwandtner loc. cit.

(*k*) Nicol. Olah. in Hung. Lib. I. cap. 4. p. 18. Georg. Werneher. de admirandis Hungariae aquis apud Schwandtner Tom. I. pag. 587.

tum. Anno 1722. ius hoc, ad D. Caroli VI. Josephi I. atque communis eorum parentis Leopoldi heredes femineos eſt translatum. Priſca aetate, principes regii, duces vocabantur. Ordinem equeſtrem vnum habet Hungaria, S. Stephani regis, anno 1764. a Maria Thereſia imperatrice regina inſtauratum. Diuiduntur vero, equites ordinis huius in tres claſſes, quarum prima eſt equitum magnae crucis, altera commendatorum, tertia equitum paruae crucis. (*l*) Dum rex Hungariae coronatur, equites auratos in aedibus ſacris ad Franciſcanos pertinentibus, renunciare ſolet, quod inſtitutum a Maria I. in ſucceſſores eius tranſiiſſe creditur. (*m*)

§. IX.

Iam, & de ordinibus, ſeu ſtatibus regni Hungariae, non nihil eſt commemorandum. Diuiduntur illi in quatuor claſſes. Ad primam pertinent archiepiſcopi, epiſcopi, abbates, praepoſiti, atque ſacerdotes canonici, ordo D. Pauli eremitae, & Praemonſtratenſis. In altera claſſe, poſt barones regni, ſunt duo ſacrae coronae cuſtodes, ſupremi comites, &, quicunque nomine comitis atque liberi baronis gaudent. Tertia claſſis ex nobilibus conſtat, ſiue illi, ex regis liberalitate fundos poſſideant, ſiue minus. Illos poſſeſſionatos, atque donatarios, noſtri vocant, hos armaliſtas. Quarta claſſis exhibet liberas atque regias vrbes, quae peculia regia vocantur, atque peculiari magiſtratu & iurisdictione gaudent. Quaeuis libera & regia vrbs iura nobilis Hungariae habet. Omnes qua-

(*l*) Magnus magiſter ordinis huius eſt rex apoſtolicus. Jura, obligationesque equitum peculiari libello anno 1764. Viennae. euulgato, ediſſeruntur.

(*m*) Samuel Timon, in epitome chronologica ad annum 1382.

quatuor regni ſtatus iure comitiorum (diaetae) gaudent, &, primae quidem atque alterius claſſis illuſtres viri, canonicis exceptis, omnes viritim ad conuentus regni euocantur; tertiae & quartae claſſis ordines, cum capitulis, certos nuntios (ablegatos, ſeu deputatos) expediunt, & quidem, noſtra, patrumque noſtrorum aetate, quiuis comitatus, ac quaeuis libera & regia vrbs, duos, ex ſuo ordine, iuris patrii gnaros viros. Vrbium liberarum & regiarum pars vna in iuridicis, magiſtro tauernicorum regalium, altera vero perſonalis praeſentiae regiae locumtenenti ſubeſt. Si ſcilicet litigantes, ſententia, quae in praetorio vrbis, magiſtratus domeſtici auctoritate pronuntiatur, contenti non ſunt, eandem, cum cauſſa integra, ad tribunal magiſtri tauernicorum regalium, aut perſonalis praeſentiae regiae locumtenentis, perferre, eiusque disquiſitioni ſubiicere poſſunt. A magiſtro tauernicorum iterum ad curiam regiam, quae Peſtini eſt, recurrere licet. Quae perſonalis praeſentiae regiae locumtenenti ſubſunt vrbes, libertate hac non gaudent. Inter vrbes liberas regiasque, ſeptem ſimul montanae reperiuntur, iuribus & priuilegiis peculiaribus auctae. Neque deſiderantur in Hungaria oppida libera, inter quae inprimis notari merentur, Haidonicalia, in comitatu Szaboltſenſi quaerenda, atque 16. coronalia, apud Scepuſienſes, an. 1772. a Polonis recepta. Priora, duos ablegatos ad regni comitia mittunt, poſteriora, auguſtae reginae clementia, anno 1774. ab omni comitatus Scepuſienſis poteſtate, exemit. Poſteriora haec oppida acceperunt anno 1773. peculiarem adminiſtratorem, cui comes prouinciolae, tres adſeſſores, notarius, fiſcalis, perceptor, iudices, & ſenatores, quos quoduis oppidum habet, ſubſunt. Commemorari adhuc merentur oppida metallica,

fisco regio subiecta, qualia sunt, Szomolnokinum & Schwedler, apud Scepusienses, apud Liptouienses, Botza; Felsö-Bánya, apud Szathmarienses, alia suo loco indicanda.

§. X.

Praeter nobiles, quos rex Hungariae creat, dabantur olim complures nobiles, quibus archiepiscopi, & abbates nonnulli, in fundis suis, iura nobilium conferebant. Nostra aetate solus archiepiscopus Strigoniensis hoc iure gaudet, &, quos creat nobiles, illi praedialistae vocantur. Sunt illi in duas distributi sedes, quarum vna Vaikensis est, apud Posonienses, altera Verebélyensis, in comitatu Barsiensi. Vtraque ab omni magistratus, qui in comitatibus his deprehenduntur, iurisdictione, est exemta, &, per suum peculiarem palatinum, vice comitem, notarios, & iudices, quibus rerum iuridicarum & politicarum cura incumbit, regitur.

§. XI.

Inter dicasteria Hungarica, primum sibi locum vindicat excelsa cancellaria Hungarica aulica, quae olim Budae, iam Vindobonae sedem habet. Praeest illi cancellarius regni, ex procerum ordine, cui, vt plurimum procancellarius, consiliarii, referendarii dicti, octo ex procerum & equestri ordine adiuncti sunt. His subsunt secretarii quinque, & alii subalterni, quorum opera, in variis functionibus vtuntur. Cancellaria haec, ciuilia, iuridica, politica atque ecclesiastica negotia, auctoritate regia, excutit, regi refert, & quae ille decreuit, in Hungariam adnexaque illi regna, Slauoniae, Croatiae, ac Dalmatiae expedit. Bellica negotia, in consilio bellico, oeconomica vero, in camera Hungarica aulica tractantur.

Ex-

Excelſum conſilium regium locumtenentiale, quod Poſonii eſt, Carolus VI. anno 1723. erexit. Qualem vero eidem poteſtatem per Hungariam adtribuerit, ex decreto anno 1723. confecto, articulo 97. ſeqq. euidens eſt. Procurat videlicet illud, auctoritate regia, negotia ciuilia, publica, politica, legibus regni deciſa, & cum illis connexa, quae rex decreuit, & per cancellariam ſignificauit, per regnum intimat. Hinc facile colligere eſt, quidnam, in Hungaria, per intimata excelſi conſilii regii locumtenentialis, intelligatur. Praeſes illius eſt palatinus, aut locumtenens regius, conſiliarii, ex praelatorum, procerum, & equeſtri ordine 26. in eodem deprehenduntur, ſecretarii 5. ſubalternos habent longe plures. Subſunt eidem octo prouinciales commiſſariatus, ſeu diſtrictus, in regno, ſub calcem libri huius indicati, in quibus, tributa in bellicos vſus deſtinata, ex comitatibus & vrbibus liberis. regiisque, deponi, &, ex eius praeſcripto, erogari ſolent.

§. XII.

Curam aerarii publici duplex camera habet Hungarica. Vna eſt Poſonii, quae regia bona, coronalia, fiſcalia, tributa, triceſimas, ſalem, qui ad regis monopolium in Hungaria ſpectat, & publicos prouentus, procurat. Habet excelſa haec camera, ex ordine procerum, praeſidem, propraeſidem, conſiliarios 21. ſeptem ſecretarios, & multos alios ſubalternos. Ab ea pendebat adminiſtratio Scepuſienſis, quae, priſca aetate, ad annum 15 7. Quintofori, in Scepuſienſi comitatu, ſedem habebat, & propterea adminiſtratio Scepuſienſis vocabatur, dein vero Caſſouiam translata, anno vero 1774. in tres minores tansmutata eſt, quarum vna Zomborienſis eſt, altera Marmatica, tertia Caſſouienſis. Addi his poteſt XVI. oppidorum

Scepusiensium administratio. Scepusiensi administrationi quae Cassouiae erat, vrbes regiae superioris Hungariae subiacebant, nunc, & hae, a sola excelsa camera aulica dependent. Altera camera Schemnitzii domicilium habens, rem metallicam & monetariam in Hungaria dirigit, &, camerae aulicae Viennensi subiecta est. Suffragantur huic camerae montanae, Cremnicienſis & Neosolienſis, atque administratio montana Szomolnokiensis.

§. XIII.

Iustitiam in ciuilibus caussis, fora varia, & dicasteria iuridica. auctoritate regia, administrant. Colonorum in vicis & oppidis degentium, sint glebae adstricti, vel liberae migrationis, lites, domini terrae, quibus parent, in sede, quae dominalis appellatur, cognoscunt. Ab his, recurrere licet, ad sedem comitatus iudiciariam, caussae nobilium aliquae, apud iudices nobilium, aliae coram vice comite examinantur, a quibus, ad sedem iudiciariam (sedria etiam vocatur), ab hac vero, vel ad tabulam districtualem, vel regiam, in plurimis caussis, confugere, illis, qui caussa cadunt, licet. Tabulae districtuales anno 17 3. erectae, pro quatuor, in quos Hungaria diuisa est, circulis, quatuor dantur. Comitatus, qui cis Danubium sunt, Tyrnauiae; qui trans Danubium occurrunt, Ginsii; cis Tibiscum degentes, Eperiessini; trans Tibiscani vero, Debreczini tabulam suam habent. In foris his, partim sententiae, in foris inferioribus pronunciatae, sub examen vocantur, partim vero caussae primum hic ventilantur. A tabula districtuali in plurimis caussis, ad tabulam regiam, ab hac vero, ad septemuiralem, appellare licet. Priori praeest personalis praesentiae regiae locumtenens, sociosque habet, duos

prae-

praelatos, totidem barones tabulae, palatini aut locumtenentis regii vicarium, quatuor protonotarios, caussarum regalium directorem, sex assessores, ex equestri ordine, & alios subalternos. Septemviralis tabula, a septem viris, ex quibus initio constabat, denominata, praesidem habet, palatinum vel locumtenentem regium, assessores, ex venerabili clero quatuor, ex ordine procerum nouem, ex equestri vero septem. Vtraque tabula, a nostris; curia regia vocatur, anno 1723. D. Caroli VI. prouidentia erecta, & Pestini collocata. A septemuirali supremo foro, appellatio amplius non conceditur. Sententia in ea lata, regia auctoritate, sigilloque regio munita, expeditur, & in effectum deducitur.

Forum vrbanum, in liberis, regiisque vrbibus imum est, apud praetorem, a quo, ad senatum se conuertere licet. Caussae dubiae hinc plurimae, partim ad magistrum tauernicorum regalium, partim ad personalis praesentiae regiae locumtenentem, perferri possunt. Quae vrbes, huius, quae illius potestati in iuridicis subsunt, sub calcem libelli huius ostenditur. Sententiam, in sede tauernicali latam, curia regia reuidere potest; quae personali subsunt vrbes, superiorem eo iudicem non habent. Prior, quouis fere anno, Budae, caussas dubias, cum ablegatis, quorum quaeuis vrbs, vnum, aut plures, Budam expedit, examinat: posterior, socios sibi, quos placet, dum caussas reuidet, adlegit.

Quae ad forum sacrum pertinent caussae, illae, partim in sede sacra, qua quaeuis ecclesia cathedralis est instructa, partim apud nuncium apostolicum Vindobonae expediuntur. Aliquae a solo Pontifice Romano cognosci possunt.

§. XIV.

Quiuis comitatus in Hungaria, peculiaris est prouincia, suis magistratibus instructa, qui, illa, quae ad commoda eius pertinent, praecipue vero iuridica, ciuilia, & oeconomica negotia, regia auctoritate, procurant. Praeest comitatui cuiuis supremus comes (Obergespan,) quam diu viuit, nisi, vel sponte dignitate hac, se abdicet, vel in alium comitatum transferatur. Aliqui comitatus, ex certa familia, comites suos accipiunt, aliis rex, pro arbitratu, seu ex procerum, seu ex equitum Hungarorum numero, aliquem praeficit. Si quis ad tempus tantum comitatum regendum accipiat, ille administrator eiusdem vocatur. Audiebat is, saeculis priscis, comes pro tempore constitutus. Sunt & alterius ordinis administratores comitatuum, tales scilicet, qui, loco comitis supremi, prouinciam hanc ornare solent. Administratores similes constituere necessum est, si supremus comes, vel, propter teneram aetatem, comitatum necdum regere potest, vel, grauioribus negotiis impeditur, quo minus muneris sui partibus in comitatu suo defungi possit. Proximi, a comite supremo, & administratore, dignitate sunt, vice comites, quorum vnus ordinarius, alter substitutus vocatur. Solent vero hi, comitiolis prouincialibus, quae in Hungaria congregationes vocantur, absente supremo comite, administratoreque, praeesse, & ea dirigere. Sunt, praeter hos, notarii duo, qui principis mandata, & quae publica comitatus auctoritate decernuntur, in scripta publica referre, & expedire tenentur, duo, vel plures iudices nobilium, quorum quiuis parti comitatus (processum appellant, publica auctoritate praeest, & ius inprimis dicit. Habent porro illi socios, iuratos vocamus. Datur etiam in quouis comitatu, fiscalis procurator, qui, principis & uniuer-

uersitatis iuribus inuigilare, eaque tueri tenetur. Reditus publicos, a colonis & inquilinis exigunt, & in publicum aerarium inferunt, perceptores. Pars aeris huius, in publicos vsus comitatus conuertitur, & qui tributa haec colligit, perceptor domestici aerarii, (cassae,) reliquam partem in vsus bellicos conuertendam accipiens, perceptor bellici aerarii (cassae) vocatur. Ampliores comitatus complures habent perceptores, qui particulares vocantur. omnes tamen ab vno generali dependent. Hic, rationes accepti, erogatique aeris, partim comitatui, partim commissariatui, cui subest, reddere tenetur. Sunt adhuc, in quouis comitatu, viri meritis & auctoritate conspicui, qui, in regendo comitatu, inprimis vero caussis cognoscendis. supremo comiti, eiusque vicariis, auxilio sunt, & tabulae iudiciariae assessores, vocantur. Assessorum & notariorum munus, ad nullum tempus est reuocatum, reliqui, pro tribus annis potestatem. quam habent, accipiunt. Elapso enim triennio, supremus comes, aut administrator, auctoritate regia, magistratus instaurare (sedem restauratoriam celebrare) potest.

§. XV.

Inter reditus regios in Hungaria referuntur. 1. tributa, quae ciuitates atque ignobiles, alendi perpetui mercenariique militis caussa, praestant. Venerabilis clerus, proceres, & nobiles, a fundis suis (curialibus,) nihil in aerarium publicum praestare, sed armis patriam, aduersus hostes, si casus deposcat, tueri tenentur. 2. ex vectigalibus. seu tricesima. 3. Ex metallis, mineris & monopolio salis. 4 ex bonis ad coronam spectantibus, amplissimis, fundisque, & iuribus fisci. 5. ex publico cursu, seu postis, quae proueniunt.

§. XVI.

Virtute bellica Hungara gens semper multum pollebat, &, nostra inprimis aetate, insignem se reddidit. Facile rex, ex Hungaria, & regnis prouinciisque cum illa copulatis, 100000. hominum armare, & hosti obiicere potest. Diuiduntur vero milites Hungari, vt aliorum populorum, in equites (quos Huszarones vocant,) & pedites. Caue vero existimes, in legiones has, nullos alios, quam in Hungaria natos & educatos, recipi. Militant non pauci extranei sub signis Hungaricis, vti sub Germanicis & Bohemicis, iterum Hungari multi. Tota res bellica pendet a senatu bellico, qui Vindobonae sedem habet. Si hostis, quacunque ex regione vicina, in Hungariam se inferret, & milites stipendiarii eundem repellere non possent, tenentur omnes equestri praerogatiua gaudentes, arma illi obiicere, &, gentes suas, (hoc est, subditorum suorum partem) aduersus eundem educere. Illud nostri personalem, hoc gentium insurrectionem (exercituationem) vocant. Vtraque decreto anni 1715 art. 8 1723. „6. 1741. „63. innititur. Iure certe Hungarico omnis nobilis pro milite habendus est. (n) Ne autem ordinibus & statibus desint opes, quas expeditiones bellicae deposcunt; propterea, tantis iuribus & libertatibus, regum nostrorum indulgentia, sunt aucti, quantas in aliis Enropae regnis, Poloniam si exceperis, frustra quaesiueris.

§. XVII.

Vltimo, de mappis Hungariae geographicis, aliquid adhuc commemorandum est. Laudatur vt antiquiores exigui usus praeteream, centurionis caesarei regii Mülleri mappa, quam, anno 1709. Josepho

(n) S. Stephani Lib. I. Decr. cap. 4. §. 3.

pho I. imperatori dedicauerat, publicique iuris fecerat. Recusa est nuper a Homanno, quatuor filyris, id tantum dolendum, quod ab erroribus, quibus scatet, perpurgata non sit. Hasii tabula Hungariae in ampliori significatu sumtae, ex recentissimis pariter & antiquissimis relationibus, ac monumentis, concinnata est, qua vetus non minus, quam recens status regni exponitur. Anno 1737. Joannes Bruggen chalcographus Vindobonensis procurauit tabulas 12. repraesentantes regnum Hungariae, cum adiacentibus prouinciis suis. Prima tabula repraesentat regnum Hungariae, cui confiniuntur: Austria, Morauia, Polonia, Transiluania, Seruia & Slauonia. Vta tabella sistit veterem Pannoniam, Daciam, & Illyricum. VIta Transiluaniam, cui confiniuntur, Hungaria superior, Polonia, Moldauia, Valachia VIIIva exhibet regnum Slauoniae, cui adiacent: Hungaria inferior, Seruia, Bosnia, Croatia, & Marchia Venedorum. Joannes Tomka Szászky, vir, de historia & geographia Hungariae optime meritus, multa diligentia, cura & sumtu suo, procurauit anno 1750. & 1751. Posonii paruum atlantem Hungariae, qui, praeter titulum, 19. mappulas continet, quarum quaeuis mediam filyram magnitudine aequat. Deprehendes in atlante hoc, mappas Hungariae antiqui, medii, & recentis aeui. Ex Mikovinianis geographico mathematicis chartis, curauit Andreas Ericus Fritschius anno 1753. Posonii nouam tabulam inclyti regni Hungariae. Minoris molis sunt mappulae geographicae, in forma 8. longiori (Vindobonae 1689. aeri incisae, publicique iuris factae,) Josepho I. regi dedicatae, quarum sequens est titulus *paruus atlas Hungariae, in quadraginta tabellas diuisae, descriptio &c.* Singula mappula vnum fere comitatum exhibet. Si Matthiae Belii notitia Hungariae nouae integra, typis euulgata fuisset, habe-

remus

remus cuiusuis comitatus mappas accuratissimas. Sed, cum praeter prodromum, in quo est Paulli Kray, de Rokus, Scepusiensis comitatus mappa elegans, quatuor tantum tomi prodierint, &, ex quinto, vnicus comitatus Mosoniensis, isque in paucorum sit manibus: non plurium, quam nouem comitatuum in opere hoc expositorum tabellas geographicas deprehendes. Loca Danubio vicina, accurate exposita sunt, in opere splendido, & non nisi sumtu magno parabili comitis Ludouici Ferdinandi Marsiglii, cuius titulus est: *descriptio Danubii*, quod Hagae Comitum. anno 1744. in Gallicum translatum & 5 voluminibus, quae a fronte sequentia verba habent, impressum est: *Description du Danubie depuis la montagne, de Calenberg en Autriche iusqu' au confluent de la riviere Jantra dans la Bulgarie -- par Mr. le Comte Louis Ferdinand de Marsigli traduite de Latin, a la Hage.* 1774.

De cuiusuis comitatus mappis geographicis optime commentatus est auctor atlantis Austriaci, qui tomis XXIX. Hungariae generales & speciales geographicas chartas recenset. Vtinam opus hoc praeclarum, lucem publicam proxime conspiceret!

PARS

PARS II.

GEOGRAPHIAM HVNGARIAE SPECIATIM EXPONIT.

§. I.

Vſitatiſſima HVNGARIAE partitio eſt, cum in SVPERIOREM, INFERIOREMque diſpeſcitur. (*a*) Necdum vero inter Hungaros conuenit, vbi terminetur ſuperior; aut, vbi inferior capiat initia. Generatim, Caſſouia, ſuperioris Hungariae metropolis dicebatur. Nunc communi ſententia, in *CIS-DANVBIANAM*, *TRANS-DANVBIANAM*, *CIS-TIBISCANAM*, & *TRANS-TIBISCANAM*, diuiditur. Quam Hungariae diuiſionem nos quoque recipimus.

§ II.

(*a*) Primum & ante omnia auctor oſtendere debebat, in quos comitatus Hungaria diuidatur. In compendio hoc exhibet 48. comitatus, vnum diſtrictum, & Cumaniam maiorem, minoremque. Comitatibus his, ſi addas Torontalienſem, atque Kraſſouienſem, qui hucdum banatus Temeſuarienſis pars fuerant, prodibunt 50. comitatus. Olim Hungaria in 72. comitatus diuiſa fuit. M. Roger, de deſtructione Hungariae, per Tartaros, cap. 10. Comitatuum horum nomina, ſitum, & praecipua loca, exhibet Joh. Tomka Száſzky, in peculiari mappula anno 1751. confecta, quam in atlante eius Hungarico deprehendes. Stephanus Verböcz ad calcem conſuetudinarii iuris ſui tripartiti, 60. comitatus enumerat, de quibus apud Timon, in imagine Hungariae nouae, cap 1. Georg. Wernєher. de admirandis Hungariae aquis, p. 848. ſcribit, fuiſſe Hungariam, ante cladem Mohacsianam, in plures, quam 50. comitatus diuiſam.

§. II.

Quilibet horum CIRCVLORVM, certum aliquem comitatuum numerum in se continet, quibus tota absoluitur Hungaria. Nos, in describendis iis, vicinitatisque ordinem sequemur.

MEMBRVM II.

DE

HVNGARIA CIS-DANVBIANA.

Pars haec Hungariae, cum cis-Tibiscana ora, prisca aetate, Jazygum Metanastarum regio vocabatur. Saec. II. post C. natum, eandem, Quadi & Marcomanni, Germanici populi incolebant; exceperunt hos multi alii populi, atque sedes, hac in regione, sumserant, donec Hungari, praecipite saeculo IX. deuictis Maharensibus, eam sui iuris reddidissent. Huc sequentes iam COMITATVS referimus, quos, Hungari, Vármegye, Germani Gespanschaften, rectius Ispanschaften, Slaui vero Stolice, nuncupant.

§. I.

COMITATVS POSONIENSIS, Hungarice, Posony Vármegye, Germanice, die Preßburger Gespannschaft, vocatus.

1. Ad Carpati montis initia, inter Danubium atque Vagum, positus est, longus milliaria 14. latus 8. A septentrione & ortu partem Morauiae, Nitriensem comitatum habet, a meridie, Comaromiensem, ab occasu, Mosoniensem, Austriam & Morauiam.

2. Vi-

2. Vino proficit atque frumento, multis maioribus, minoribusque fluuiis irriguus. Cetera, & montibus horrescit, & mitigatur planitie.

3. Huc ingens insulae Cituatum, seu Cituorum, Germanis Schütt, Hungaris Csallóköz, nominatae pars refertur. Feracissima ea, foecundissimaque est; Danubii tamen inundationibus obnoxia. Maxima omnium est, quas Hungaria habet, &, in maiorem atque minorem diuiditur. Incolae eandem Aranykert, h. e. hortum aureum, nec sine caussa, appellant. Abundat namque fructibus praestantissimis. Matthias I. rex, saepe in eandem, animi oblectandi caussa, diuertere solebat. Hortis regiis, multa arte instructis, & variis, eam amoeniorem effecerat. Praebet eadem etiam domicilium sedi Vajkensi, quae, ad archiepiscopum Strigoniensem pertinet, singulareque tribunal & palatinum etiam habet. (*b*)

4. Quinque constat PROCESSIBVS, quorum singuli nomen a situ sortiti sunt; SEDE item VAJKENSI. Sunt vero:

(a) *Processus extraneus superior*, ab vrbe Posoniensi, pone montes, versus septentrionem procurrens. Colitur a Slauis, vrbibus quinque insessus, quas mox dabimus.

(b) *Processus extraneus inferior*, secundum Vagum, per latam planitiem extensus, alit potissimum incolas Hungaros.

(c) *Processus insulanus superior*, continet supremam in occasum insulae Schütt, partem, habitaturque ab Hungaris, si oppidum Somoria excipias, quod & Germanos admisit.

(d)

(*b*) Nicol. Olah. scribit in Hungaria sua Lib. I. cap. IV. §. 3. insulam hanc 13. milliaria esse longam, latam, nunc duorum, nunc 3. nunc 4. aut 5 milliarium. Refertur illud ad tres comitatus, maxima pars ad Posoniensem, minima, eaque media, ad Iaurinensem, reliqua ad Comaromiensem spectat.

(d) *Processus insulanus inferior*, absoluitur media insulae eiusdem parte, cis & vltra validissimum Danubii alueum. Colitur itidem ab Hungaris.

(e) Hic & *Vajkensis sedes* praedialistarum archiepiscopalium, posita est, quam Hungari inhabitant. Nobiles, quos archiepiscopus Strigoniensis creat, a iurisdictione comitatus Posoniensis exemti, per magistratum peculiarem reguntur.

(f) *Processus transmontanus*, vltra montes, in septentrionem & occidentem, pone Morauam amnem. Inquilini plerique omnes Slaui, & per vicos aliquot, etiam Croatae sunt. Multi quoque Judaei comitatum hunc inhabitant.

5. Colitur quinque liberis regiisque ciuitatibus Posoniensis comitatus. Praeter quinque liberas & regias vrbes, 276 oppida & pagos in eo deprehendes. Anno 1776. totus hic comitatus 180170. animas numerabat, inter quas Judaicae 3356. fuerant. In aerarium bellicum ab anno 1765. soluit comitatus quotannis Fl. 208716. Xr. 30. praeterea 5. liberae regiae vrbes, Fl. 161811. Xr. 17. Vrbium prima est:

1. *Posonium*, nonnullis Pisonium, Germanis Preßburg, Slauis Presspurek, Hungaris Posony, c) Situs amoenitate, salubritate aëris & aquae, immo & vini praestantia, excellit. Ciues plerique Germani sunt. Praebet sedem archiepiscopo Strigoniensi, excelso consilio regio locumtenentiali, aerario, seu excelsae camerae Hungaricae, & praefecto rei bellicae per Hungariam. Habet quoque canonicorum, cum praeposito maiore, colle-

(c) Olim Brecislaburgum & Istropolus vocabatur. Creditur fuisse veterum Romanorum colonia a Pisone ibi collocata.

collegium, quod capitulum vocamus. (d) Monachi Franciſcani, Capucini, P. P. S. S. Trinitatatis, fratres miſericordiae; quatuor moniales vero, ſociae DD. Vrſulae, Clarae, Eliſabethae, & canoniſſae regulares congregationis, quas de notre Dame vocamus, ad D. Auguſtini regulam adſtrictae, & educationi illuſtrium virginum intentae, totidem clauſtra hic habent. Ieſuitae, praeter clauſtrum, in media vrbe, ad quod archigymnaſium eſt Romano Catholicum celebre, ab anno 1672. poſſeſſum, habebant etiam reſidentiam. Xenodochum hic duplex eſt, vnum ordinis ſcilicet, militiae crucigerorum hoſpitalariorum cum rubra ſtella, anno 1723. ciuitate Hungarica donati, alterum, quo ciues egeni excipiuntur. In illud ciuitas nihil habet poteſtatis, hoc vero, vna cum noſocomio, inſpectioni magiſtratus vrbis huius ſubeſt. Contubernium militum anno 1759. & ſequentibus, ad Danubium, meridiem verſus poſitum, tam amplum eſt, vt ſex centuriis hoſpitium praebeat. Aliquot centenis paſſibus inde, ad Danubium, monticulus regius ab anno 1563. proſtabat, ex congeſtis cespitibus erectus, quem rex, ſub finem coronationis, equo concitato, conſcendere, & gladium verſus quatuor orbis plagas

(d) Praepoſitura olim in arce erat Poſonienſi. Henricus, vel Emericus rex, ab Innocentio III. Pontifice accepit poteſtatem, illam, extra caſtrum transferendi. Proſtant litterae pontificis, apud Gelaſium Dobner, in monumentis hiſt. Bohem. T. II. pag. 346. Templum vrbis princeps, D. Martino & Saluatori ſacrum, quadrato lapide, anno 1090. a S. Ladislao I. R. fundatum eſſe perhibetur. Parochus, qui in eo ſacra peragit, a ſenatu vrbis Poſonienſis, quae iuribus patronatus gaudet, eligitur, & archiepiſcopo Strigonienſi praeſentatur, ab eoque confirmatur. Solet vero eligi e numero canonicorum venerabilis eccleſiae collegiatae Poſonienſis. Habebat vrbs haec vsque ad annum 1528. duas adhuc eccleſias parochiales, ſcilicet vnam D. Michaeli archangelo, alteram S. Laurentio dicatam.

gas vibrare, inde vero, in arcem, vrbi imminentem, se conferre solebat. *e*) Suburbia vrbis magna sunt, & diuerso tempore exstructa (*f*) In his eminent inprimis aedes magnificae archiepiscopi Strigoniensis, nuper nouis substructionibus, praecipue vero granario & cellis capacissimis auctae. (*g*) Vicus Blumenthal vrbi vicinus accepit anno 1771. peculiarem parochum. Euangelici in suburbio oratorium duplex habent, & scholas. In vrbe ipsa & suburbiis 28000. homines habitant. Habet illa praeterea duos pagos, Pracsam & Lamacs, olim vero etiam villam pulchram (Schöndorf) Veidricz, Szölös ac Vereknye.

Arx in quadrangulum exstructa, monti vrbi vicino, versus occasum incubat, quae inprimis a temporibus Ferdinandi I. celebris est. Habent in ea sedem, serenissima archidux Maria Christina, eiusque coniux, Albertus, dux Saxoniae Teschiniensis, locumtenens regius. Solet praeterea illa reges Hungariae, quoties hic morantur,

---

(*e*) Anno 1773. iussu regio disiectus est, & in eo loco granarium regium amplum erectum. Monticulus, regius in vicino loco, ad ipsum Danubium. propeque contubernium militum eleganter anno 1776. Augustae reginae sumtu adsurrexit.

(*f*) Priuilegia vrbi huic maxima, Andreas III. rex, anno 1291. contulerat, quae, plerique reges, post eundem, inprimis tamen Car. I. Lud. I. Sigismundus, Albertus, vxor eius Elisabetha regina, Lad. V. Matthias Coruinus, Wladislaus II. Lud. II adseruerant, auxerantque. Anno 1469. Joannis Vetézi Strigoniensis archiepiscopi consilio, Matthias Coruinus, motus, vniuersitatem, in platea Vedricz, vbi turris aquatica dicta, prostabat fundauerat, quae, siquidem Danubio vicina fuerat, Istropolitanae nomen acceperat. Videtur illa cum conditore suo exspirasse.

Notandum quoque est, Maximilianum II. anno 1563. & omnes reges, quos, post eum, Hungaria habebat, Ferdinando III. solo excepto, hic esse coronatos. Est quoque Posonium a Ferdinandi I. aetate, regni metropolis. Ferd. I. decret. 1536. 49.

(*g*) Hortum ibi elegantem saeculo superiori Georgius Lippai posuerat.

tur, hospitio excipere. Conseruantur in eadem sacra corona, & reliqua regni cimelia. (*h*)

2. *Tyrnauia*, Hungaris Nagy-Szombath, Slauis Trnawa, Germanis Tyrnau. (*i*) Accepit denominationem ab amniculo Tyrna, a quo in partes duas secatur, vrbs pulchra, foecunda circum planitie obfusa, ob ingentem claustrorum frequentiam, vulgo minor Roma dicta. (*k*) Praecipuum templum est D. Nicolai, in quo capitulum Strigoniense sacra facit. Exterior vrbis huius murus capit fanum D. Michaelis Slauonicum nuncupatum, liberalitate Szelepcsenyii excitatum. Vicinae aedi huic sunt domus canonicorum, splendidae & amplae. Habent quoque ibi ordines, Seraphicus, SS. Trinitatis, Paulli eremitae, sorores D. Clarae & Vrsulae, sua monasteria, & templa magnifica. Ad vniuersitatem, iam academiam, templum quaerendum D. Joannis baptistae, regio fere sumptu fundatum Ante annum 1769. in eadem vniuersitate theologica, philosophica studia, & quaedam iuris partes, tradebantur, ab hoc vero anno, omnes quatuor facultates habebat, & omnes illae partes eruditionis in ea explanabantur, quae Vindobonae in Austria. (*l*) Anno 177. translata est vniuer-

 sitas

(*h*) Haec primum Albae; dein Vissegradi, ab anno 1552. Posonii conseruantur. De sacrae coronae variis vicissitudinibus in historia agitur.

(*i*) In diplomatibus Zumbathely etiam vocatur. Petrus Ranzanus (saec. XV. scriptor.) eam, in Trencsiniensi comitatu quaerit.

(*k*) Condidit, seu auxit, vrbem hanc, Cunegunda, quam alii qui Constantiam vocant, Belae III regis filia, vxor Premisla, Ottocari regis Bohemiae. Referenda est Tyrnauia inter antiquissimas regias liberasque vrbes, quod, ex Caroli I. decreto euidens est. Obiit hic, anno 1382. Ludouicus I. rex, natus vero Jo. Sambok, seu Sambucus, poeta, philosophus-mathematicus & historicus celebris.

(*l*) Collegium Jesuitarum anno 1615. Sellya huc translatum est. In ornanda academia Ferdinandus II & Petrus Pazmany, diligentes munificosque se praestitere. Georgius Lippai effecit,

ſitas Budam, & Tyrnauiae academia conceſſa. Regnante Ferdinando I. Strigonioque a Turcis occupato, capitulum Strigonienſe huc translatum eſt. Eſt quoque in ea, ab anno 1723. tabula diſtrictus cis-Danubiani.

3. *Modru*, Hungaris Modor, Slauis Modra, Germanis Modern, ſub montis radicibus reducto verſus Poſonium ſitu, reſedit, vnde 4. ſubiungitur milliaribus. Vino valet, & opificum operis. Iura liberae & regiae vrbis anno 1607. Rudolpho ſceptra tenente, conſecuta eſt Habent A. C. addicti, hic, in ſuburbio, duo oratoria, & ſcholas.

4. *Bazinga*, vel *Bazinium*, Hungaris Bozin, Slauis Pezynek, Germanis Pöſing. Exigua quidem vrbs, ſita tamen commode. Arx ei adpoſita eſt, quam comites Pálffy, iam ex aſſe heredes reaedificarunt. Ciues mercatibus, partim hebdomadariis, partim cultu vineatico, & opificiis, rem faciunt. Habent enim vineas, amoeno foecundoque poſitu conſitas. Fructum effundunt, Modrenſi multo generoſiorem. Debuit haec vrbs, vna cum vicino Szent Györgyino, multas ſuperare difficultates, donec Ferdin. II. regnante, axioma liberae & regiae ciuitatis conſequeretur. Priſca aetate celebres erant comites de S. Georgio & de Bozin.

5. *Szent Györgyinum*, Hungaris, Szent György, Slauis, Swaty Gjrjk, Germanis, St. Georgen, alias fanum S. Georgii audit. Vrbecula haec, licet vinum praebeat optimum, in dies tamen fit calamitoſior. Arx quoque, immo & pleraeque vrbis domus, in ruina iacent. Piarum ſcholarum patres habent hic gymnaſium. Iam arcis ditio comitum Pálffy heredium eſt.

6. Ac-

vt anno 1666. partes aliquae iuris hic proponi inciperent. Idem vero, ſimul & Szelepcsényi, magnam vini librorum congeſſere, quibus bibliotheca archiepiſcopalis aucta eſt.

6. Accedunt comitatui huic, praeter quinque has liberas regiasque ciuitates, arces etiam multae. In his sunt:

(a) *Arx Posony*, de qua ad vrbem est actum.

(b) *S. György*, de qua ad vrbem cognominem aliquid monitum. Ad dynastiam, cuius arx haec caput est aliquot oppida & pagi pertinent.

(c) *Bozin*, vrbi adsidet ad septentrionem, iuris Palffvani una cum septem pagis vicinis ad arcem hanc spectantibus.

(d) *Vöröskö*, Germanis Biberspurg, ut & Rothenstein, Slauis Czerweny Kámen, quod rubrum lapidem denotat. Posonio vltra quartum lapidem reiecta, anno 1734. a Carolo VI. genti Palffyanae collata. (m) Celebris est ora haec vino, quod fundit, praestanti, & marmore varii generis.

(e) *Szomolán* Germanis, & Slauis Schmolenitz. Distat, a Vöröskö, duo milliaria. & ad Nitriensem prouinciam accedit. Est in possessione illustris familiae Erdödianae.

(f) *Dévénum*, Germanis Theben, ad Danubii & Morauae confluentem, vno milliari Posonio reiecta, & rupi arduae imposita, ex qua, maior pars Mosoniensis comitatus videri potest. Est iuris Palffyani, Ferdinando I. regnante, Stephanus Báthori Palatinus, in ea decessit.

(g) *Borostyankö*, Germanis Ballenstein, Slauis Stupawsky Zámek, eximia aëris salubritate, & ventis purioribus gaudet. Pertinet ad gentem Palffyanam, quae hic tabularium & armamentarium habet.

(h) *Detrekö*, Germanis Blasenstein, Slauis Plawecz, rupi praealtae incubat, ruinaeque vicina est, quam suam, Paullus Palffy, Ferdinando III. regnante, effecit. (n)

 (i) *Eles-*

(m) Spectant ad dynastiam Vöröskőiensem castellum Szuha, oppida Szuha, Alsó Diós, Csefzte, Ompithal, & vici 13.

(n) Diplomate, quo a Ferdinando III. familiae Palffyanae collata, comitatus titulo insignita esse perhibetur. Hinc Palffyorum

(i) *Éleskő*, Germanis Scharfenstein, cum dynastia, quae heros varios veneratur. (o)

7. Castella sequentia regionem hanc insederunt:

(a) *Csekles*, Lanschitz, duobus milliaribus Posonio versus ortum recedit. Pertinet ad illustrem gentem Eszterházyanam.

(b) *Magyarbél*, a priori, ad orientem, medium lapidem distat, structurae magnificae, & positionis amoenae Bosnyakiana familia, ad quam olim pertinebat, axioma de Magyarbél habebat. Nunc dominum habet, Eminentiss. S. R. Ecc. Cardinalem Presbyterum, S. R. G. imperii principem & archiepiscopum Strigoniensem Iosephum Bathyanium.

(c) *Nemeth - Garah*, Posonio 4 milliaribus distat. A com. Joanne Pálffy, anno 1725, seq. exstructum est. Abundat frumento, & aliis, quae ad rusticationem spectant.

(d) *Szuba*, a Joanne Pálffy anno 1720. instaurata, Tyrnauia 1. milliari distat.

(e) *Vódród*, Slauis Woderad, aedificium est vetustum, paretque illustri genti Zichianae.

(f) *Cziffer*, in oppido cognomine, complures dominos veneratur. Alterum priori vicinum castellum Körekessiorum elegantius est.

(g) *Galantha*. Duo sunt in oppido Galantha castella, iuris Eszterháziani. Eszterhazii, Feketii, & Baloghii axioma ab oppido hoc acceperunt.

(h) *Kossuth*, castellum gentis Eszterházianae. Vicum in quo est, nobiles complures incolunt.

(i) *Viszkeletense*, duplex, quorum vnum ad Eszterházios, alterum ad Somodios spectat.

(k) *Ho-*

tirulus ortus est, quo perpetui domini, comitatus Detrékö vocantur. Subsunt eius dominio, praeter castella Detrekö & Malaczka cum oppido, 15. pagi.

(o) Referuntur ad ditionem eius, castellum & oppidum S. Joannis, Bur-Szent-György, Bur-Szent-Miklos, Bur-Szent-Péter, Kukló, Laxar Ujfalú, Szekula & Záuod.

(k) *Hodi*, Andrassiorum, in pago Hodi.
(l) *Neboyssza*, inter Galantha & Dioszegh, varios, pro diuersitate temporis, dominos habebat, axiomaque illis tribuebat.
(m) *Gany*, cum villa cognomine gentis Farkas.
(n) *Tallos*, in regione, quae interamnensis vocatur, castellum nuper accepit magnificum, quod comes Franciscus Esterházi erexit. Deducti illuc sunt, ante annos aliquot, orphani, quos, augusta regina Maria Theresia, in studiis variis, sumtu suo, educandos curat.

Sequuntur castella, quae sunt in insula Csaloköz, seu Cituorum.

(o) *Eberhard*, in insula Csaloköz, arx vetusta, quae ad templarios pertinuisse creditur, postea ad comites de S. Georgio peruenerat.
(p) *Püspöky*, in oppido Püspökfalua, est archiepiscopi Strigoniensis heredium, in eadem insula quaerendum, propius ad Posonium accedit.
(q) *Csákány*, in possessione, quae ad Cistercienses iam olim pertinebat,
(r) *Gomba*, a Georgio Szelepcsényi resuscitatum, qui hic celebrem officinam erexerat, in qua, quamdiu vixit, pannus Hollandico & Anglico fere suppar, parabatur. Nobiles de Gomba, saec. XIII. & XIV. non incelebres erant.
(s) *Illyésháza*, vico cognomini inerat, a Stephano Illyésházi, filio Thomae, hic nato, & Catharina Pálffy, vxore eius, ad omnem magnificentiam educta, & demum regis iussu disiecta.
(t) *Nagy-Szarva*, eodem iure, quo prior, genti Illyésházianae obsequitur: Est operis vetusti, ea re tamen memorabile, quod herum hic versantem hospitio excipere soleat.
(u) *Vszor*, in regione ad rusticandum peropportuna, incolitur a nobilibus Naszvádi.
(v) *Királyfalua*, Germanis Königs-Aden, vel Königs-Deden, palatio & horto, quem magnificentia vix

alter aliquis in Hungaria superat, memorabile, 4. milliaribus a Posonio versus orientem reiectum

(x) *Bdr*, in processu insulano inferiori, vico cognomini adsidens, & baroni Amade, cuius est heredium sedem praebens.

(y) *Böös*, eundem herum habet.

(z) *Süly*, praetorium quadratum prioribus longe inferius, ad successores Maholanios pertinet.

(aa) *Beketfalua*, iuris Eszterháziani, hortum amoenum, & agros feraces habet.

(bb) *Sipos*, seu Kástély-Kartsa, sedes Somodiorum percommoda, licet non splendida.

Hae arces sunt in processu transmontano:

(cc) *Stompha*, in oppido cognomine, sumtu, & industria Nicolai Pálffy splendide aedificata, & multis commoditatibus, beneficiisque instructa. In antiquis diplomatibus Vstompa, &, dynastia Stompensis, comitatus vocatur, cui, in aliquibus priuilegiis, comitatus maior, seu Posoniensis opponitur.

(dd) *Detrekő*, arci eiusdem nominis vicina, impensis Nicolai Pálffy, magnifice excitata, tacitis inprimis secessibus opportuna.

(ee) *Malatzka*, extra oppidum eius nominis, quod hortos, auiaria, molas, & piscinas fructuosas non minus, quam elegantes habet. Dominos etiam veneratur Pálffyos.

(ff) *Léuard*, in oppido Léuard, olim ad comites de S. Georgio, iam ad gentem Kolonitschianam, pertinet.

(gg) *Castella duo S. Joannis*. elegantia, dominis, quos habent, sedem praebent.

(hh) *Dévén*, in oppido, quod hospitio herum ex Pálffyana gente, & curatores eius rei familiaris, excipere solet. Hoffio (Schloßhof) bis mille passibus distat.

8. Oppida priuilegiis instructa, 30. & aliquot, comitatus hic numerat. Occurrunt vero in processibus sequenti ordine:

In

In processu superiori extraneo:

(a) *Posony Varalya*, Germanis Schloßberg, arci Posoniensi subiectum, cum altero Danubio adiacenti Zukermandel dicto. Pertinet ad eum, ex gente Pálffyana, qui comitatum regit. Est in ea Pálffyanum castellum; non desunt curiae nobilitares, Judaei quoque multi hic deprehenduntur. Initio saeculi XVII. Posony Varalya ex paucis domibus constabat, Zukermandel vero (aliis Zukmantel) necdum prostabat.

(b) *Retse*, Germanis Ratschdorf, Posonio vno milliari versus ortum recedit. Obsequitur etiam Pálffyis, & vino maxime dat operam, quo nobilius salubriusque vix in toto comitatu deprehenditur.

(c) *Cseklés*, Germania Lahnsitz, de quo iam supra. Situs praestantia ac amoenitate non facile alicui loco in regno cedit.

(d) *Semptz*, Germanis Wartberg, Slauis Szencz, oppidum elegans, vno milliari a priori distat. Pertinet etiam ad Eszterhazianam dominationem. Accepit anno 1763. praecipite, ex liberalitate augustae reginae apostolicae clementissimae, & excellentissimi cancellarii Hungarici aulici, comitis Francisci Eszterházi de Galantha, scholam equestrem, in qua patres scholarum piarum, vulgarem non minus, quam subterraneam geometriam, arithmeticam, publicis officiis, & negotiationi accommodatam, oeconomiam, exercitia stili varii generis, & alia coguata studia, nobiliori iuuentuti tradebant diligenter. Anno 1776 splendida haec schola fatali incendio absumta est Tatam que translata. Deprehenditur quoque hic, ab aliquot annis, ergastulum, seu correctoria domus, in qua, feri crudelesque homines, crimina sua expiare necessum habent. In eo laboratur vt domus haec Tallosianum transponatur, orphanique ibi existentes hic

hic domicilium commodius accipiant. Notandum quoque adhuc est, in hoc oppido, natum esse Albertum Molnár.

(e) *Grinaua*, (Grünau, Grüne Au,) inter Bazingam, & S. Georgium, positum oppidum, vino, pratis & agris praestantibus gaudet, iuris Pálffiani.

(f) *Cziffer*, medium inter Szemptz & Tyrnauiam complures veneratur dominos.

(g) *Szuha*, Germanis Dürrenbach, nundinarum beneficium a Ferd. III. anno 1639. accepit. Est iuris Pálffyani.

(h) *Csefzte*, arci Vöröskö vicinum, incolas Slauos, Germanis intermixtos habet, qui, opificia, praeter rem rusticam, exercent. Copiam lignorum vicinis suppeditat notabilem.

(i) *Ompithal*, Germanos & Slauos incolas habet, qui vitem & frumentum studiose curant.

(k) *Alsó-Dios*, Germanis Windisch-Nußdorf, Slauis Dolni Dreffan, Slauos habet incolas, qui, vitem inprimis colunt, Tyrnauiensibus sunt vicini, qui multas apud eos habent vineas. Paret vero comitibus Pálffy.

(l) *Felsö-Diós*, Germanis Ober-Nußdorf, Slauis Horni Dreffanv, a priori vix quatuor mille passibus dissidet. Slauos habet vtrumque oppidum incolas, & Szomolanensem ditionem respicit.

(m) *Szomolany*, arci vicinae, eius nominis subiectum, domos non inelegantes habet.

(n) *Spacza*, Spacynce, a quo nobiles Spaczai originem ducunt. Tyrnauia vno milliari, ad septentrionem reiectum, agrum habet frumenti, & leguminum capacem, & sylvam etiam vtilem.

(o) *Delte*, eo nomine inprimis notandum, quod pars eius citerior, ad Posoniensem comitatum, vlterior, ad Nitriensem pertineat, amniculo enim Blava dicto in duas partes scinditur. Alit multos figulos, quibus, nuper adhuc anabaptistae adcensebantur.

(p)

(p) *Bolerdz*, ex Bela rex, vox vitiose formata. Bela II. illud condidisse perhibetur. Paret monialibus D. Clarae, Tyrnauiae degentibus.

(q) *Nadas*.

In processu extraneo inferiori ad Vagum fluvium pertingente, 3. oppida, ac 44. possessiones in suo complexu habente, sequentia sunt oppida:

(a) *Galantha*, oppidum amplum & elegans, ad multos nobiles spectans, quorum aliqui celebritatem magnam sunt consecuti; inprimis Eszterházii, Fekete, & Baloghii. Tyrnauia inde duobus milliaribus ad orientem solem reiectum est.

(b) *Szered*, adiacet castro Szemthae, in ripa Vági, & vltra fluuium, Sintauam obiectam habet. Nundinae hic solent celebres instituti. boaria fora inusitatae fere frequentiae. Paret comitibus Eszterházi, licet nobiles aliquot ibi degant, fundosque liberos possideant. Oppidum, Posoniensi, Szempthae vero castrum, Nitriensi comitatui adcensetur.

(c) *Püspöky*, Germanis Bischdorf, de quo supra

(d) *Samaria*, Germanis Summerein, Hungaris Somorja, Slauis Schomorin, forte S. Mariae; diplomata enim fanum Sanctae Mariae vocant, retrusa aetate a regibus magnis priuilegiis excultum. Nundinae hic celebres solent haberi, vt adeo totius insulae emporium vocari mereatur. Conuentus quoque iuridici hic interdum instituuntur. Paulani monasterium hic habent, quod vnum est ordinis huius in regno Hungariae.

(e) *Csötörtök*, alias fanum Iouis, Germanis Leopersdorf, (Loipersdorf,) Slauis Cztwrtek, oppidum pratis & aruis, pascendae pecudi idoneis gaudet. Ligna a vicinis emit. Ante cladem Mohacsianam, incolas Germanos habuit, nunc Hungaros, pertinetque ad dynastiam Eberhard.

(f) *Abraham* Szent Abraham iuris Eszterhaziani.

Se-

Sequuntur oppida processus inferioris insulani:

(a) *Nagy Mágyar*, Groß Magendorf, patria Nicolai Illyésházii, cancellarii Caroli VI. celebris. Alit & alios nobiles, pars tamen oppidi monialibus S. Clarae Posoniensibus subest.

(b) *Szerdahely*, (Zerdahel) in maioris insulae mediterraneis quaerendum. Pertinet ad arcem Posoniensem.

(c) *Böös.*

(d) *Gelle*, Egyházos.

(e) *Vasaruth.*

Processus transmontanus inter Carpati montes & fluvium Moraua, praeter arces & oppida 34. pagos numerans. Abundat frumento, foeno & lignis, sequentia oppida sistit:

(a) *Dévén*, Déuénum, in antiquis documentsi etiam Theben, subest arci eodem nomine insignitae; Hungariae, Austriae, & Morauiae obiectae. Germanos & Slauos incolas habet.

(b) *Stompha*, (in antiquis priuilegiis Vstompa) Germanis Stampfen, Slauis Stupawa, oppidum iuris peraeque, vt prius, Pálffyani. Jacet in radicibus montis Borostyankö. Cultum est oppidum, nundinis hebdomadalibus, & annuis instructum. Ager, quo circumfunditur, Cereri & Bacho fauet.

(c) *Malaczka*, duobus milliaribus in occidentem a priori subductum. Habet castellum iuris Palffyani, & coenobium Franciscanorum, in quo senior linea Exc. familiae Palffyanae sepulchra habet.

(d) *Gajar*, ad Rudanae, & Morauiae confluentem, oppidum satis cultum, Slauos, vt prius, incolas in rem suam intentos habens.

(e) *Nagy Levárd*, Slauis Léwáry, Germanis Groß-Schützen, dictum. Frequens est oppidum Kollonitschianae gentis heredium. Habet Slauos incolas Germanis permistos, industriae magnae homines.

mines. Habebant hic, ante aliquot annos, anabaptistae, suum oratorium; iam nullos sectae huius tolerat homines.

(f) *S. Joannis oppidum*, ad dominationem Eleskőiensem spectans, castellisque compluribus exornatum. Habet nundinas & ius gladii.

In sede Vajkensi notari meretur:

Vajka, laxum oppidum in insula Cituorum[a] princeps locus sedis Vajkensis, quae, a potestate comitatus exemta, & archiepiscopo Strigoniensi subiecta est. Creat archiepiscopus, in sede hac, nobiles, praedialistas dictos, qui olim, sub banderio, seu vexillo archiepiscopali, stipendia merebantur. His subnecti possunt:

Rudus Masztense, Stomphae vicinum, vicus Pálffyanus, rudera, retinuit vetustae cuiusdam vrbis, aut castri capacissimi, quod, num a Romanis, vel Quadis, aut Auaribus, vel aliis populis, fuerit fundatum, incertum est.

Vallis diuae Mariae, vulgo Marienthal, & Thal, inter Posonium & Bazinium, versus Carpatum posita, spectat ad fratres Paulli eremitae, qui hic conuentus suos habere solent. Clara praeterea est imagine B. Virginis Mariae, multis prodigiis insigni. Fundauit illam Ludouicus I. rex, magnus Paullinorum patronus. Coenobium vero ordinis huius, munificentia inprimis Christiani Augusti ducis Saxoniae, & Strigoniensis archiepiscopi, exornatum est.

9. Facile hinc coniectare licebit, regiunculam hanc, bene cultam esse, immo, & amoenissimam; dolendum tamen, thermas ei, acidulasque deesse. Quae thermae ad S. Georgium & Bazingam sunt, non possunt comparari, cum celebrioribus, quae variis in comitatibus deprehenduntur. Reliqua victui necessaria, vix copiosiora vspiam reperies.

10.

10. Supremus comes est JOANNES PÁLFFY, ab Erdöd. Dignitas haec comitum huic familiae est hereditaria, fere a duobus saeculis, eamque semper aetate maximus gerit. Conuentus prouinciae, plurimum Posonii habentur. Samariae sedes, vt vocantur iudiciariae, Tyrnauiae & Bazianii rarissime celebrantur.

§. II.

COMITATVS NITRIENSIS, Hungaris Nitra Vármegye, Slauis Nytryanska Stolice, Germanis die Neutrer Gespanschaft. Nomen ab episcopali arce Nitria, Germanis Neutra, Hungaris Nitra, sortitus est. Et is quidem.

1. Sub montibus Morauiam versus positus, comitatu Posoniensi & Comaromiensi inde ab austro & occidente; Trentsiniensi & Thurocziensi, a septentrione; Barsiensi & Comaromiensi, ab ortu & meridie, forma semicirculari incingitur. Merito eum vnum omnium amplissimorum, dixerim. In longitudinem enim mera planitie, 16. vsque milliaria, in latitudinem vero 2. 4. alicubi & 8. protenditur.

2. Qui colunt prouinciam, Hungari sunt, & Slaui, Bohemi, agriculturae maximam partem dediti. Nec Germani desunt, nouis hinc inde coloniis, in prouinciam inducti. Praeter liberam & regiam ciuitatem Szakolczam, & Nitriam episcopalem, oppida 35. pagos vero 424. comitatus hic enumerat. Integrum comitatum 214680. homines incolunt. Contribuunt 216 21 fl. 27 1/ x

3. Fertilitate quidem, Posoniensi comitatui haud cedit; vini tamen nobilitate, ni adulari voluerimus, non peraeque, ut ille, laudandus. Praeter frumentum, gramen, ligna, feras varii generis, crocum etiam suppeditat. Nitra fluuius, regionem, ab aquilone, in meridiem perluit Vagus autem, & perpetuus comitatui est, & eius a Posoniensi prouinciola disterminator.

4. Ha-

4 Habet itidem processus V. a praecipuis vrbibus & oppidis denominatos. Sunt vero:

(a) *Nitriensis*, vltra Vagum & Nitriam amnem, & inde in meridiem, in plana reiectus. Habitatur a Slauis parte superiore, inferiore ab Hungaris.

(b) *Baimoczensis*, a fontibus Nitriae fluuii, procurrit inter montes, dum in planitiem, versus Nitriam desinat. Coloni sunt Slaui, & loco alterutro etiam Germani.

(c) *Bodokiensis*, vltra Baimoczensem, in occidentem est, mon osus fere totus, & a Slauis cultus.

(d) *Vág-Vjhelyensis*, aduerso Vago, in septentrionem ascendit, inquilinos Slauos nactus.

(e) *Szakolczensis*, vltra albos montes, vsque ad Morauiae fines, protenditur, habitaturque a Slauis.

5. Ingens haec regio, vna modo libera regiaque ciuitate, *Szakolcza*, Hungaris Szakolcz, Slavis & Germanis Skaliz, colitur. (*p*) Ad Morauam flumen, pone fines Morauiae consedit. Gaudet gymnasio, auditorum frequentia celebri, cui Jesuitae ab anno. 1701. praeerant, iam vero Paullini. Francisci & Carmelitae monasteria, Paullini vero residentiam hic quoque habent. (*q*)

6. Munimenta, quae huic contigere comitatui, sunt:

1. *Nitria*, arx episcopalis munita, vt supra iam commemorauimus, monti petroso imposita reparatione eget. Elegans ei, populosumque, nominis eiusdem oppidum adiacet; quod splendidam, cum copioso canonicorum capitulo, cathedralem habet ecclesiam. Ceterum, Nitria fluuius, arcem vndiquaque circumfluit, ingensque eius amoe

(*p*) In decreto Sigismundi quinto Zakolcza. Vocis etymon aliqui ex Slauico Skalya, h. e. rupes, cui imposita est, deducunt.

(*q*) Vrbs vetus, nunc vero temporum iniuria nimium adflicta. Prisca aetate axioma liberae & regiae ciuitatis est consecuta. Certe, Sigismundo ad clauum regni Hungariae sedente, eodem est vsa, quod ex V. decreto eius est euidens. Sunt, qui existimant, Belam II. regem in ea, in lucem esse editum.

amoenitati addit momentum. (r) Praebet quoque Nitria PP. piarum scholarum iuuentutem in gymnasio docentibus, domicilium; versus austrum habet obiectum montem, Zobor dictum, in quo monasterium erat Benedictinorum, a diuo Stephano vt dicitur, fundatum, &, post aliquot saecula, derelictum. Anno 1692. illud episcopus loci Blasius Jaklin, familiae Romualdi, seu, vt vulgo vocantur, Camalduensibus contulit. Pars tantum Nitriensis comitatus ad dioecesim Nitriensis Episcopatus, & praeterea Trencsiniensis prouinciola spectat.

2. *Ujvdrinum*, Hund. Ersek Ujvár, Germanis Neuhäusel, Slauis Nowe Zámky. Munimentum, longe, quam id describere vellemus, praestantissimum, duobus Nitria, in meridiem milliaribus, vasta pone amnem cognominem planitie, dissidet. (s)

3. *Galgoczinum*, Hungaris Galgótz, (t) Germanis Freystädel, Slauis Freystack. Arx ad Vagum sita est, cui, & oppidum, annonae vilitate commodum, adiacet; octo milliaribus Posonio, Tyrnauia duobus in aquilonem abest. Rapidus Vagus, qui penes oppidum decurrit, illud valde adluit, & in dies maiora ei adfert detrimenta. Habet claustrum amplum Franciscanorum strictio-

(r) Nitriensis episcopatus est antiquus, varias tamen subit vicissitudines, populis variis eundem, mox euertentibus, mox iterum instaurantibus. Vltimum eundem restituebat, & in pristinam celebritatem reponebat, rex apostolicus Geysa II.

(s) Communiuerant Vjuarinum hoc, olim Strigonienses archiepiscopi, Paullus Vardanus, & Nicolaus Olahus, postquam Turca notabilem regni partem, sub triste misisset iugum, & in vicinam oram crebriores fecisset procursiones. Propterea archiepiscopale etiam Vjuarinum vocatur. Anno 1725 & 1726. solo aequatum fuit. Nunc ergo oppido, quam propugnaculo similius dixerim. Anno 1663. in Turcarum potestatem deuenerat, unde anno 1685. depulsi sunt.

(t) Annonym. Belae R. Notario c. 37 Cologouci.

ctioris, vt aiunt, obseruantiae, ad prouinciam S. Saluatoris spectans. (u)

4. *Leopoldipolis*, Germanis Leopoldstadt, Galgóczio obiacet, paludosam planitiem occupans. Excitatum est munimentum hoc, sex propugnaculis exornatum, prouidentia Leopoldi augusti, anno 1665. postquam Vjvárinum, armis Turcicis, expugnaretur, et pace, quae, hoc cum hoste, anno 1664. facta est, eius in potestate relinqueretur.

7. Arces montibus insitae, egregiam merebantur olim considerationem. Nam, et multas hac in prouincia reperimus, et nobiles. Omnium nobilissima est.

(a) *Bajmócz*, Germanis Boinitz. Hereditario eam iure, comites Palffi, cum pluribus pagis arcem adtinentibus, possident. Habet oppidum, quod hic est, etiam thermas, et nullam non opportunitatem. Conciliat eidem non parum celebritatis praepositura, quam habet, S. Antonio abbati dicata; a comitibus Onofriis anno 1479. fundata. (x) Diffidet Nitria octo in euro ad aquilonem milliaribus.

(b) *Gbymes*, seu Dymes, arx antiqua, vasti est operis, gentilitia comitum Forgacs, adhuc regnante Bela IV. sumtu Forgáchiano condita.

(c) *Temetvény*, in monte arduo, nunc in ruderibus iacet. (y)

4. *Su-*

(u) Huius originem aliqui ad annum 1464. alii, ad annum 1492. referunt. St. Kaprinay, in histor diplom P. I. p. 367. Post Garaios, ad Vjlakios deuenerat, quibus extinctis, Thurzones nactum est dominos, post hos, Forgachios; iam illustri genti Erdödianae subest.

(x) Dynastia vero ipsa, prisca aetate, ad familiam Ilsua pertinebat, postea, ad Ioann. Coruinum, filium Matthiae regis deuenerat; hoc vero mortuo, ad Thurzones, & his etiam extinctis, superiori saeculo, ad Palffios.

(y) De qua Belius in notitia regni Hungariae Tom. IV. pag. 368.

(d) *Suran*, Erſek Ujvárino vicina arx et oppidum, illa tamen in ruinis eſt. (z)

(e) *Komjath*, caſtellum atque oppidum, a quo familia Komjathiana denominata. Paret comitibus Forgács.

(f) *Berencs*, (Berench.) arx iuris Nyarini. Rudolphi I. decr. I. art. 18.

Erant quoque in comitatu hoc caſtella ſequentia; Ondrod, Thornocz, Veche, Babiczháza (de quo Ferdinandi I. decr. XIX. art. 26. §. 2.) Bodogh, Korlatkö, Keſelekö, Jokö, alia.

8. Oppida nobiliora profecto ſunt prouinciae, his nominibus inſignita.

In Proceſſu Szakolczenſi.

(a) *Egbell.*
(b) *Holics*, cum caſtello, de quo infra.
(c) *Radoſſocz.*
(d) *Sandorf.*
(e) *Szobotiſt*, quod olim anabaptiſtis abundabat.
(f) *Szenitz*, curiis multis nobilium notum. Magna eius pars pertinet ad comites Nyari.

In proceſſu Vagh.- Ujhelyenſi.

(a) *Brezova.*
(b) *Cheita*, (Cſeita,) iuris eſt Erdödiani. Habet cellas vinarias praeſtantes.
(c) *Deitha*, cuius media pars ad comitatum Poſonienſem ſpectat, riuulo Blaua ab alia parte diuulſa.
(d) *Galgocz*, de quo ſupra.
(e) *Püſtin*, a quo thermae Püſtinienſes ſalubres denominantur.
(g) *Schinta*, (Schintava, et Sentava)
(h) *O Tura*, (vetus Tura) iuris Erdödiani. Incolae eius butiro queſtum faciunt in Hungaria et Auſtria.
(i) *Vagujhely*, Germanis Neuſtadtl an der Waag, Slavis Nowé meſto nad Wahem, quod nomen a

ſitu

(z) Ferdinando I. regnante communita erat. Ferdin. I. Dec. XVII. 13. Erat. olim iuris Orſzagiani.

ſitu (ad Vagum enim poſitum eſt) accepit. Amplum ſatis eſt, et incolarum ſedulitate commendatum. Nec ignobile vinum rubrum fundit. (*a*)

(k) *Ujvdroska*,

(l) *Verbo* oppidum Szenicio vicinum.

(m) *Vitenz*.

In proceſſu Bajmocenſi.

(a) *Bajmocz*, de quo ſupra.

(b) *Privid*, Privigye, Germanis Priwitz, Slauis Priwice, Priuidia, primum praebuit domicilium patribus ſcholarum piarum, qui non incelebrem quoque ludum hic aperuerunt. Panificio quoque, et arte ſutoria, notabile eſt. Pertinet ad Bajmocenſem dynaſticam quae iuris eſt Palffiani.

(c) *Németh Prona*, verſus comitatum Thurocienſem rejectum habet Germanos incolas.

(d) *Szkacsan*.

(e) *Zambokreth*, a quo vetuſta gens Zambokrethiana axioma accepit.

In proceſſu Bodokienſi.

(*a*) *Bdjna*.

(b) *Pereslény*.

(c) *Radoſzna*.

(d) *Nagy-Tapolcſan*, Germanis Groß-Topoltſchan, Slauis, Velike Topolčany, vbi optimum crocum ſeritur. Tenebat olim locum inter liberas regiasque ciuitates, quod ex Caroli I. decr. eſt euidens.

In proceſſu Nitrienſi.

(a) *Komiathi*, de quo ſupra.

 (b)

(a) Priſcis temporibus, quae adhuc aetatem Belae IV. ſunt antegreſſa, poſſeſſio regalis de Ujhely, vt & regia villa de Ujhely vocabatur. Habet etiam praepoſituram, cuius conditor eſſe putatur Stiborius de Stiborich Vajvoda Tranſiluaniae, et totius propemodum Vagi. dominus. Kaprinay in hiſt. diplomat. regni Hungar. P. I. p. 377.

(b) *Mocsonak*,
(c) *Selye*, in quo saeculo XVI. Jesuitae scholam celebrem habebant, quae demum Tyrnauiam est translata.
(d) *Sempthe*.
(e) *Suran*.
(f) *Ersek-Ujvár*, de quo supra.
(g) *Ujlak* oppidum, vno fere milliari Nitria occasum versus recedit, castello splendido exornatum, quod excellentiss. comiti Nicolao Forgacs, ad cuius dominationem oppidum pertinet, sedem praebet.

Non sunt adhuc praetereunda, duo castra, nostra aetate, celebria, augustorum secessui destinata, totidem cum oppidis. Alterum est *Hollitsch*, in limitibus Morauiae, in quo vasa fictilia pretiosa parantur; alterum, Sás-várum, seu *Schassin*, Schoßberg, admiranda B. Mariae Virginis imagine inclutum, quae curae PP. S. Paulli eremitae commissa est. Instituuntur, ad imaginem hanc, omnibus ex vicinis regionibus frequentes peregrinationes sacrae.

9. Haec ora, si adcuratius eam indagauerimus, omnia ad vitam bene agendam tenet beneficia: praeterquam, quod ex parte, qua in aquilonem secedit, asperior euadat. Ast, vbi montium iuga mitescunt, et pane abundat, et vino. Inprimis vero planitie, quam communi nomine Jatto appellant, rem pecuariam excoli studiose mireris. Quin, nec thermae, ad consummandam comitatus felicitatem desunt, triplices vero sunt. Bajmoczenses, (b) puta, Beliczenses, ac Püsthinienses denique, sitae ad Vagum; quae quidem posteriores, peculiaris cuiusdam virtutis cre-
dun-

(b) Has Alexius Thurzo, dynasta, saec. XVI. ad vsus publicos adaptauerat, exornaueratque. Werneher, de admirandis Hungariae aquis. p. 852.

duntur, et nullum certum fontem habent, sed, Vago decrefcente, propius ad eum accedunt, intumefcente vero eodem, ab illo recedunt. (c)

10 Comes fupremus anno 1777. menfe febr. renunciatus eft comes NICOLAVS FORGACS de Ghyimes, ante quem epifcopi Nitrienfes, a faeculo XIV. honore hoc fungebantur; quorum vltimus erat Ioannes Gufztinyi anno 1776. fatis functus. Conuentus publici Nitriae, in arce epifcopali, habentur.

§. III.

COMITATVS TRENCSINIENSIS, Hungaris Trencfin Vármegye, Germanis Trentſchiner Geſpanſchaft, nomen a munita arce vrbeque Trencfinienfi, accepit. Notes de hoc fequentia:

1. Init comitatus ad Silefiae fines prope Jablunkenfe caftrum; ac, inde demum, fecundo Vago, pone Nitrienfem prouinciam, longius procurrit. Morauiae proximus ab occidente; ab oriente Thurocziensi comitatui; qua vero ad feptentriones vergit regio, Silefiam adtingit, atque Galliciam; meridionali parte Nitrienfibus finitima. Duodecim milliaria latus creditur, longus duo, tria, et alibi locorum quatuor etiam.
2. Incolae Slaui funt, et Hungari, robufti, laboriofique homines. Qui, ad Silefiae, Galliciaeque fines, amnem Kifzutzam incolunt; indole funt alacri et excitata. Praeter liberam regiamque ciuitatem Trencfin, habet oppida 17 pagos. 383. Incolas 187780. inter quos 1862. Iudaei funt.
3. Maxima regionis pars montofa eft, immo paullo etiam aliis incultior, rei tamen pecuariae commodiffima. Proinde, par ei, cum ceteris regni prouinciis, deeft fertilitas. Frumenti ta-

 men

(c) Werneher, de admirandis Hung. aquis. p. 831.

men inopia minime laborat. Vini certe parum colit.

4. Processibus IV. absoluitur a situ nomen ferentibus.

(a) *Processus superior*, a Silesiae Galliciaeque finibus incipit; ac vtroque demum Kiszutzae amnis latere decurrit; dum Vago, vltra Raietzium oppidum diffunditur.

(b) *Processus medius*, secundo amne Vago, descendit.

(c) *Processus inferior*, partem comitatus infimam, meridiem versus, occupat.

(d) *Processus transmontanus*, vltra Carpatum, ad Moraviae vsque confinia protensus. Coluntur singuli a Slauis, gente operarum rusticarum studiosissima.

5. Vna modo vrbe libera regiaque *Trencsiniensi* colitur; proxime ea Vago adiacet. (*d*) Tenet locum inter liberas et regias vrbes, a prisca Hungarorum aetate, quod ex Caroli I. decreto planum est. Olim, clara erat nuptiis illustrium hac in vrbe celebratis, quod annales Hungarici ostendunt. Cereuisia, quam coquunt incolae, laudatur. Collegium, quod PP. Iesuitarum erat in eoque templum, architectonico constructum opere, inter praecipua Hungariae numeratur. *e*) Arx vrbi adiecta, egregie hucdum munita fuit. (*f*) Nunc comiti IOANNI ILLESHÁZY, paret, militareque praesidium habet.

9.

(d) Anon. Belae R. Notar. cap 37. Trusun. Carol. in decreto suo §. 31 eandem Ciuitatem., Caspar Velius de bello Pannonico p. 37. oppidum insigne et amoenum vocat.

(e) Fundatum est a Georgio Lippai archiepiscopo, anno 1652. anno 1715. exornatum et auctum.

(f) Positum eius Nicol. Istuanff. describit. Lib. IX. hist. p. 147. Prostabat iam Sigismundi immo Caroli I. aetate. Sigism. decret. anno 1435. in praefat.

9. Oppida 17 comitatui huic adnumerantur. Sunt vero in processus suos reiecta sequentia.

In processu transmontano, vnum.

Baan.

In processu inferiori etiam vnum:

Beczko, muro incinctum, olim quoque arce exornatum splendida, quam Stiborius de Stiborich morioni suo Beczkó, vel Buczko dicto, in gratiam, Sigismundo imperante, fundauerat. Vocabatur diu Bolondvár, quod, si latine reddere volueris, arcem stulti, vel stultam, significabit, (g)

In processu medio:

(a) *Bellus.*
(b) *Dubnicz*, iuris Illyesháziani, quod hero elegans castellum praebet.
(c) *Damanis.*
(d) *Illava*, oppidum cum arce. Religiosos a SS. Trinitate denominatos, Georgius Szécsényi archiepiscopus Strigoniensis eo deduxerat.
(e) *Kassa.*
(f) *Lednicz*,
(g) *Puchov*, in quo, saeculo hoc, incolae praestantem pannum parare coeperant.
(h) *Prúszka*, oppidum non ignobile cum arce.

In Processu superiori aliquot in districtus diuisi.

(i) *Vág Beszterczé*, Bistricia, habet in Vági ripa rupi praealta compositam arcem, caput dynastiae cognominis iuris Balassaiani.
(k) *Predmir.*

(g) Ladislaus Thurocz in Vngaria suis cum Regibus p. 252. inter figmenta haec refert, cum in antiquis documentis, non Bolondvár, sed Bolondocz vocetur, Stiborius vero axiomate de Bolondocz vteretur. Forte iam aetate anonymi Belae regis notarii prostabat, et illud erit, quod ille cap. 37. Blundus vocat. Non est confundendum, cum Bolondvár ad Balatonem reiecto, de quo Istvanff. Lib. XXXIII. p. 797.

(a) *Rajecz*, maiorem eius partem opifices incolunt, inprimis cerdones alutam bene praeparantes, et vicinis comitatibus suppeditantes.

(b) *Bicsa*, cum arce, quae Georgio Thurzo palatino, et filio eius Emerico, sedem praebebat, caput dynastiae hoc nomine insignitae.

(c) *Kiszutza Ujhely*, oppidum, ad Silesiae fines, commode positum, frequentiori vini mercatu rem facit

(d) *Solna*, Germanis Sillein, Slauis Zilina, quod nobili cereuisia et vilitate annonae celebre est. Habet Francisci sodales, Iesuitas, Georgius Szécsényi archiepiscopus eo deduxerat. Ante duo saecula arx illi fuit vicina, Schillin denominata.

(e) *Varin*,

Notari quoque meretur: *abbatia de rupibus*, Slauis Skalka dicta, anno 1223. a Iacobo Nitriensi episcopo, fundata, Benedictinis collata, ab illis vero demum derelicta. Tenebant eandem, nostro saeculo, Iesuitae

7. Montana hac in prouincia loca, arces plures ostendebant, quae turbatorum publicae tranquillitatis olim, inprimis aetate Ferdinandi I. regis, receptacula fuisse, creduntur. Plurimae earum in ruinam inclinant, veluti Letaua, vicina, oppido Raietz, Lednitze, versus Moraviam retrusa, Oroszlankö. Vág - Besztercze, Ovár, a qua praedicatum habet incluta familia Pongracziana; Ban, Szetrecsensis vero, (*Ztrechen*) quam cum Ouár Pancratius de S. Nicolan tenebat, (h) Hricso, Kaszsza, et Szúlyó, desertae sunt arces. Inter eas, quae adhuc celebres sunt, Budetin, arx finitima comitis Szunyoghii, primam commemorationem, ob situs meretur praestantiam, vbi Kiszutza amnis, Vago miscetur: nec

(h) Thurocz. in Chron. P. IV. C. 49.

nec praetereunda Vgroczensis, quae ad liberos barones *Zay*, pertinet.

8. Nec thermas hic desideraueris, Trencsinienses, profecto, tanti sunt effectus, vt, non a Morauis modo, sed et Austriae incolis frequententur. (i) Sunt, et aliae, in Raietz, oppido, minoris tamen efficaciae Acidulas vix connumeraueris.

9. Supremus comes, IOANNES, e comitibus ILLYESHÁZY est, quae dignitas haereditaria illustri huic familiae Rudolpho II. regnante contigit. Conuentus publici Trencsiniensi in vrbe habentur.

§. IV.

COMITATVS ARVENSIS, Hungaris Arva-Vármegye, Germanis die Orawer Gespanschaft. Et is quidem:

1. Inter montes Carpaticos, ad Gallitiae limites reiectus, pauperrimus omnium Hungariae comitatuum creditur. Montosa alioquin, frigida, minusque foecunda regio est. Fluuius Arva mediam eam interluit, caditque in Vágum, in Liptouiensium et Thurocziensium collimitio, ad montes, quos Fatra vocamus. Oritur vero fluuius hic in montibus Hungariae aquilonaribus, versus Galliciam, Babia Gora vocatis. Ex fontibus prodiens, Oravkam et Jablonkam pagos, adluit. Capit in longitudine sex, in latitudine tria milliaria. A septentrionibus, Osuicensem ducatum, ab ortu, Galliciae regnum; a meridie Liptouienses, ab occasu Thurocziense, habet vicinos.

2. Incolae Slaui sunt, robustum laboriosumque hominum genus; qui tamen multum Poloniçi idio-

(i) Werneher. de admirandis Hungariae aquis p. 852. scribit, eas semper calere, et limpidissimas esse. Saec. XV. illis se oblectabant Zápolyii comites, qui Trencsinii sedem habebant.

matis' adſciuerunt, auenaceo potiſſimum pane contenti. Ouium greges, in montibus et alpibus Carpati alunt, quibus rem facere conſueuerunt. Conficiunt quoque linteum, quod in complures comitatus deferunt et vendunt. Numerat oppida 4. pagos 93. incolas 60648. quos inter Iudaei 112. eſſe dicuntur. In bellicum aerarium ſoluit quotannis 43396. fl. 30 xr.

3. Rem pecuariam, quod abundet ſiluis regio, commode curare poſſent incolae, dummodo ſuppeteret plerisque victus quotidianus. Reliqua, pro paupertate regionis, vniuerſe, ponderari facile queunt.

4. In duos diuiditur proceſſus, itidem a ſitu vocatos. Sunt ii.

(a) *Superior*, qui in aquilonem recedit, ita dictus, quia circa fontes Aruae amnis ſitus eſt.

(b) *Inferior*, qui in meridiem et occaſum declinat,

5. Nullam habet liberam, regiamque vrbem. Arx montana Arua, Slauis Orava, praecipua eſt, quae nomen comitatui impertiuit. Arx olim duplex, immo triplex fuiſſe, hic creditur. Superioris in altiſſima petra poſitae rudera, hodiedum conſpiciuntur, crediturque, eadem templariis ſedem praebuiſſe; inferior adhuc proſtat, conſeruaturque ſollicite. Vicus adiacens, vti et totus hic comitatus, pauper eſt, quod iam notatum eſt. Accepit ab hac arce, denominationem dynaſtia Aruenſis, quae maiori comitatus parte abſoluitur. Effecerat illam iuris ſui Georgius Thurzo, anno 1608 a quo, extinctis maſculis, ad femineos heredes, ius, ſaeculo ſuperiori, peruenit.

6. Oppida, quibus colitur, pro regionis conditione, exigui ſunt momenti.

In proceſſu ſuperiori:

(a) *Trſztena.*

(b)

(b) *Tverdossin*, (Tvrdossin) oppidum populosum.

In processu inferiori:

(a) *Also - Kubin.*

(b *Nagyfalu*, alias Velicsna, **Welka Wés**, amoenum oppidum, nuper castello elaganti auctum. Conuentus prouinciales, quos congregationes nostri vocant, Alsó Kubinii celebrantur.

7 Supremi comitis dignitate ANDREAS TÖRÖK, produx copiarum caesareo regiarum fungitur.

§. V.

COMITATVS LIPTOVIENSIS, Hungaris Liptó - Vármegye, Germanis die Lyptauer Gespanschaft, vel, si communi nomine mauis, die Liptau. (k)

1. Finitimus Aruensi est, ab aquilone, ab oriente Scepusiensi; meridiem versus, ad Zoliensis vsque prouinciolae fines porrigitur, monte Sucha terminatus. Qua vero occidentem spectat regio, ad Thuroczienſium limites accedit, a quibus Fatra mons eum dirimit. Longo et hic tractu, a Scepusiensibus, ad Thuroczienses vsque, procurrit. In longitudine ad 8. vel 9. in latitudine ad 3. milliaria habere dicitur.

2. Incolae Slaui sunt, caseo, butiro, atque ligno quaestum maxima ex parte facientes, ob agri sterilitatem solertes agricolae. Occurrunt in comitatu hoc oppida 7. pag. 126. Animas numerare dicitur 39606. inter quas 263. Iudaei. Aerarium bellicum 35474 fl. ab illis, qui tributa soluunt, quotannis accepit.

3. Habet processus IV. pro totidem plagis orbis terrarum diuisos, denominatosque: Inter hos:

(a) *orientalis*, ad Vagi fontes, versus Scepusios positus.

(k) Arua et Lipto ad partes regni superiores referuntur. Ferdinand. I. decr. IX. „ 32.

(b) *meridionalis*, occupat regionem, quae, inter Vagum et montes meridionales interiacet.
(c) *occidentalis*, regiunculam eam complectitur, quae Vagi margine, in eam plagam recedit.
(d) *ſeptentrionalis*, ea abſoluitur regione, quae, a Vago in aquilonem abit.

4. Oppida hoc in comitatu ſeptem reperias.

In proceſſu orientali:

(a) *Bocza*, montanum oppidum in profundam vallem, inter alpes, qui Gömörienſes et Zolienſes a Liptouienſibus ſeparat, reiectus. Diuiſum illud eſt, in tres regiones longo ſatis interuallo ſeparatas. Eſt vero eo etiam nomine memorandum, quod nullos alat paſſeres.

(b *Hibbe*, Gibbe, Geib, oppidum ad dynaſtiam Hradekenſem pertinens, et monti Krivan dicto vicinum. Habet fontes vicinos ſalſos. Anno 1775. incendium ter ibi eruperat, et totum oppidum in cineres conuerterat.

(b) *Szent-Miklos*, Germanis S. Nikolaus, Slauis Swaty Mikulaš, populoſum et cultum oppidum, 1775. incendio fatali defoedatum. Eſt iuris Pongratziani, a quo incluta familia axioma ducit. Hic quoque comitatus conuentus plurimi habentur.

(c) *Verbicze* Wrbicza, oppidum ad dynaſtiam Hradekenſem ſpectat. Prope illud patres ſocietatis Jeſu, ante 10. et aliquot annos, elegans aedificium poſuerant.

In proceſſu meridiano eſt:

Liptſe Teutonum, Hungaris Németh Liptſe, Germanis deutſch Liptſch, Slauis Nemecka Luptſſa, Populoſum oppidum a mercatoribus Lipſienſibus conditum eſſe creditur. Narratur eos Eperieſſinum iter facientes, animaduertiſſe amniculum ibi praeterfluentem, arenas aureas vehere. Fluit vti-

vtique prope oppidum amniculus Liptſe, a quo potius, quam a Lipſienſibus, nomen acceperit. Habet ferri, ſed antimonii inprimis fodinas, vtiles. Olim Vago vicinus fuiſſe perhibetur. Pertinet ad dynaſtiam Likauienſem.

In proceſſu occidentali eſt:

Roſenberg, Roſenberga, Slauis Ružomberg, Germanis Roſenberg, tribus S. Nicolao milliaribus pone Vagum diſſidet. Salis alioquin depoſitione et gymnaſio PP. Piarum Scholarum, fundato liberalite comitum Löwenberg, notum. Etiam ad Likauienſem dynaſtiam refertur.

In proceſſu ſeptentrionali.

Sunt oppida *Nagy Bobrocz*, *Szelnicze*, et *Tarnocz*, quorum duo poſteriora ad dynaſtiam Likauienſem ſpectant.

Neque praetereundus vicus Okolicsna, a quo familia Okolicsany denominatur. Franciſcanis ibi domicilium familia Matyaſovskiana fundauit.

5. Arces, montanae duae hunc comitatum inſederunt; ſunt vero:

(a) *Likava*, quae bello Rákocziano, anno 1707. disiecta eſt. Arcem hanc Ioannes Coruinus fundaſſe, et ſumtus inſanos in eam profudiſſe traditur. Stephanus Tökelius, ſaeculo ſuperiori, illam reparauerat.

(b) *Hradek*, culta hucdum, nec tamen, ſeu munitione, ſeu poſitu, priori Likauae comparanda. Vocabatur olim Liptó - Ujvár, vt diſtingueretur a Lipto - Óvar, quae ad pagum erat Bukovina, qui in vallem Malatinenſem, viam praebentem in Aruenſem comitatum, retruſus eſt. Notari quoque meretur praepoſitura B. Mariae Virginis de *Liptó*, vetuſta eccleſia nobilis.

6. Thermas, praeter Lucskenſes, nullas habet; habet vero acidulas, hinc et inde comitatui adfluentes. Ad diui Ioannis vicum fons eſt ſcabiei

biei curandae percommodus. Werneher, de admirandis Hungariae aquis, p. 852.

7. Aſpera et haec paullumque reliquis frigidior prouincia eſt: ſiquidem Carpato includitur, et 8. milliaria montes inter, inde a Scepuſienſi comitatu, vsque ad Thuroczienſem, procurrit. Mediam Vagus perfluit, noxius regioni ſaepius, inprimis, vbi crebrioribus auctus montanis riuulis turget. Siluis potiſſimum caeduis abundat. Lignis proinde regiones quamplurimas, ope, Vagi, Danubiique ſuſtentat. Montes et metalla habet, quae tamen coluntur negligentius: praeterquam, quod antimonium immenſa copia effodiant Liptouienſes: Caſeus, quo rem ſuam facere conſueuerunt, longe lateque regionibus plurimus ſubuehitur. In antris Carpati capaciſſimis, oſſa draconum, vel aliarum belluarum immanium, nuper ſunt reperta.

8. Supremi comitis dignitatem comes IOANNES ILLYESHÁZY, et id quidem iure hereditario, nactus eſt. Ipſa haec prouincia titulum olim ducatus gerebat. Matthias enim Coruinus filio Ioanni Coruino, eam, hoc titulo, dono dederat, quod vero nomen, mortuo Coruino, exſpirauit. Conuentus, ſeu congregationes, raro Teuto-Liptſchae, Nicopoli vero, vbi tabularium prouinciae eſt, frequenter celebrantur.

§. VI.

COMITATVS ZOLIENSIS, Hungaris Zólyom-Vármegye, Germanis die Solienſer Geſpanſchaft, veteribus Zólyom audit, ab arce nominis huius, quae duabus regiis vrbibus nomen indidit. Aliqui duos comitatus, a duplici vrbe denominatos, hac in prouincia, ſed ſine fundamento, quaerebant. Situm is habet ſequentem, ab oriente quidem Gömörienſem et Kis-Hontenſem comitatus; Thuroczienſem et Barſienſem ab occa-

ſu

ſu; a ſeptentrione Liptouienſem; a meridie Neogradienſem, cum Nagy.-Hontenſi. Occurrunt in eo vrbes montanae, quae, quod a Saxonicis primum coloniis cultae creduntur, regioni, Saxoniae paruae, nomen acciuerunt.

1. Et hic quidem comitatus tam prolixus eſt, vt ad 12. paene milliaria, perpetua Grani ripa amoeniſſima planitie excurrat: cum tamen vix trium, aut quatuor, latitudinem expleat.

2. Incolae vniuerſim Slaui ſunt, ſi quorundam ciuium Neoſolienſium Germanorum partem excipias. Habet comitatus oppida 8. pagos 96. animas numerat 57578 Iudaeos tolerat nullos, in bellicum aerarium numerat quotannis 52867 fl. $57\frac{1}{2}$ xr. et praeterea 5 eius Ciuitates 18425 fl.

3. Fertilitas comitatui haud deeſt. Nam, & agris abundat, et ſyluis pecori ſaginando, commodiſſimis. Hic, ingens illa regia cuprifodina eſt, quam vallem dominorum, Herrengrund Germanice, vulgus adpellat. Diſcedit vero vno in aquilonem milliari Neoſolio, altis inhaerens montibus. Locum ſoli incolunt metallici. Aqua Cypria, Zementwaſſer, Germanis dicta, quae corroſo ferro, aës cyprium puriſſimum adponit, his ineſt fodinis. Fit hoc interuallo 4. vel 6. hebdomadarum. Ex cupro hoc, pixides, pocula, & alia vtenſilia parantur.

4. Duobus admodum proceſſibus definitur:

(a) *ſuperiore*, qui in aquilonem recedit, orientalem; ea quidem regione, quae vltra Neoſolium eſt atque Briznam, aduerſo amne Grano.

(b) *inferiore*, qui ſecundo Grano deſcendit, eſtque altero illo fertilior et amoenior.

5. Quinque liberis, regiisque vrbibus inſidetur, quod in nullo, ſi Poſonienſem exceperis, comitatu reperias, Sunt vero:

1. *Neoſolium*, Germanis Neuſohl, Hungaris Beſztereze Bánya, Slauis Báňſka Biſtryca, ciuitas mon-

montana, bene culta, quae in septem reliquis, tertium locum occupat. Granus eam, cursu veloci praeterlabitur. Incolas alit sedulos, qui olim omnes Germani fuerant. Posteaquam vero bello, ac peste defecissent, & Slaui accessere, qui nunc sunt plurimi. Ciues; qui forum inhabitant, Ringbürger, dici consueuerunt. A regibus Hungariae accepere priuilegia, non teneri se, in suorum numerum, praeter natione Germanos, vnquam recipere, quam tamen praerogatiuam, nuper aliquibus Slauis concedere coacti sunt. Nundinas hebdomadales, easque, diebus lunae, frequentes celebrant. Inprimis cereuisia excellit vrbs, quae potissima quaestus incolarum pars est, nos, Germano idiomate, Merzenbier, eam nuncupamus. Cupri praeterea fodinas, & frequentes, et diuites colunt. Arx vrbi adiacens, elegans templum habet. Tota propemodum vrbs haec, anno 1762. initio Augusti, flammis fatalibus, nocte concubia excitatis, et vento vehementi, momento fere temporis, totam per vrbem diffusis, absumta est, iam tamen pristinum splendorem resumsit. Ferdinando I. regnante, plus simplici vice, hic regni comitia celebrabantur. Aedificia splendidiora sunt, basilica beatae Mariae Virginis in coelos assumtae, in qua multi thesauri, a Michaële Königsberg, anno 1499. donati, asseruantur; templum in foro vrbis positum, et collegium, quod ad Iesuitas pertinebat, domus camerae (l) praetoria, sumtu publico exstructa, et templum occidentem respiciens, a Josepho I. Imperatore fundatum. Anno

(l) Camerae huic subsunt fodinae ferreae, quae in vico Rhonicz duobus milliaribus ab vrbe versus ortum distante, Taxouiae, apud Kis-Hontenses, et in aliis oppidis vicisque metallicis, prostant; de quibus agit Ignaz von Born in Briefen über mineralogische Gegenstände, p. 200. (Lips. 1774.)

Anno 1776. condidit hic Maria Theresia episcopatum, episcopusque primus Neosoliensis, comes FRANCISCVS BERCHTOLD, factus est. Capitulum cathedrale, cum episcopatu, eandem originem habens, ex sex canonicis constat. Habet vrbs haec etiam aedes splendidas, in quibus conuentus prouinciales, et sedes iudiciariae celebrantur. Habent et Augustanae confessioni addicti in suburbio oratorium et scholas.

2. *Vetusolium*, Hungaris Zolyom, Slauis Zwolen, Germanis Altsohl, ciuitas quidem libera, at non montana, duobus Neosolio, pone Granum milliaribus distinguitur. Ciues antehac quidem Germani, nunc plerique omnes Slaui sunt; robusti homines, industriosi, inprimis vero, ob vitam sustentandam, solertes agricolae. Arx edito connexoque vrbi a meridie, colli imposita est, quam Matthias Coruinus Hungariae rex saepiuscule visitare consueuerat. Vnde magnificis cubiculis, eam, palatiisque ornauerat, quae tamen potiori parte collapsa reperias. Nunc hereditario iure comitum Eszterházi, ditioni subest. (m)

3. *Libetha*, Hungaris Libeth-Bánya, Slauis Lubjetowa, Germanis Liebethen, ciuitas montana, duobus ab vrbe Neosoliensi milliaribus discedit. Ciues, qui Germani olim fuerant, nunc Slaui sunt omnes. Id memoratu dignissimum est, passeres, hac in vrbe, nullos reperiri: eo, quod incolae, singulos, quos obseruant, interimunt. Vrbs haec olim aurum prouentus opimi ex terrae visceribus eruebat. Axioma liberae & regiae

(m) Ante Mathiam Coruinum, Ioannes Giskra eandem tenebat, cuius aetate Vetusolium vrbs iam erat, arcemque habebat, Thurocz. in Chron. P. IV. cap, 48. Est vrbi ager in edito loco positus vicinus, in quo fila aurea circum aristam conforta a messoribus sunt inuenta, de quo auctor Topographiae Hungariae magnae (anno 1718 in 4to impressae) pag. 130. legendus est.

giae ciuitatis anno 1379. a Ludouico I. rege Hungariae accepit.

4. *Brizno Bánya*, Germanis die Bries, Slauis Brezno, ad Granum flumen posita, quatuor Neosolio milliaribus, in aquilonem, reiecta est. Slavi eam incolunt, naturali quadam hospitalitate praediti.. Rem ii suam, agricultura & ouibus, quarum tam hieme, quam aestate etiam, multos in syluis greges alunt, facere consueuerunt. Inde, caseum, qui vulgo Brinsenkäs dicitur, premunt, facile omnium totius regionis nobilissimum. Relata est anno 1655. inter liberas regiasque vrbes, licet aliqui existiment, iam anno 1380. eidem axioma hoc obtigisse. Habent hic PP. Scholarum piarum scholam et domicilium.

5. *Carpona*, Hungaris Karpona, Slauis Krupina, Germanis Karpfen, Korpona, quinque milliaribus, Neosolio in meridiem dissidet. Vino fructibusque abundat, adeo, vt tota ea prouincia vix reperias praestantiores. Vnde, et nonnulli nomen a Graeco καρπος, quod fructum significat, deriuari volunt. Turca Vjuarinum expugnante, arx limitanea fuit, valido instructa praesidio. Ciues Germani antea Saxones, nunc Slaui, Hungari pauci sunt. Nobilium, inprimis multi belli motibus, huc accessere, vt saepe senatus integer, ex nobilibus constaret. Accepit iura, quibus liberae regiaeque vrbes gaudent, prisca aetate. Prima certe fuit, inter vrbes Hungariae, cujus libertates amplissimas, post abscessum Tartarorum, hoc ex regno, Bela IV. rex, anno 1244. confirmauerat. Deduxit eo PP. piarum scholarum Paullus Olász episcopus Almisiensis. Meminit vrbis Carolus in decreto suo § 31.

6. Arces, praeter Neosoliensem illam, ac Vetusoliensem, comitatui tres contigere. In his:

(a) *Lip-*

(a) *Liptsche*, Toth-Liptsche, abest Neosolio milliari vno; pone Granum posita, excelsumque montem occupat, accessus ardui. Pertinet, cum oppido, multisque vicinis pagis, ad regium fiscum, olim ad familiam Lipchei et Doczi de Nagy Luche spectabat.

(b) *Viglés*, quae Vetusolio, milliari vno in meridiem disiungitur, Matthiae Coruini secessus, et is quidem venatorius, fuisse creditur. (n)

(c) *Dobroniva*, egregio opere instructa fuit, nunc ad ruinam inclinat. (o)

7. Inter oppida regionis nominanda veniunt.

In processu superiori:

(a) *Toth-Liptsche*, Germanis Windisch-Liptsche, Slauis Slowenska Lipče, arci cognomini adpositum est.

(b) *Radvdny*, frequens et copiosum Neosolio, vicinum, Radvanszkianae gentis, a multis saeculis, heredium, quae hic duo castella habet.

In processu inferiori:

(a) *Otschova*, copiosum olim oppidum, proximum est arci Viglés; quod tamen nunc magnopere deficit. Est patria Matth. Belii.

(b) *Nagy-Szalatna*, Slauis Slatina, eodem, quo prius, nam in vicinitate eius est, fato vrgetur.

(c) *Dobroniva*, arci eiusdem nominis adpositum.

F 2 (d)

(n) Tenebat eam saeculo XVI. Stephanus Raska supremus comes comitatus Neogradiensis, Ferd. I. decr. V. „ 10.

(o) Pertinebat saeculo XVI. ad Emericium Werböczi, Stephani Werböczi compillatoris iuris consuetudinarii tripartiti filium, decr. Ferd. I. V. „ 10.

(d) *Szasz*, quod antiqua diplomata Németh Pelsöcz vocant.
(e) *Plesoutze*, alias Toth-Pelsöcz.
(f) *Buba-Szek*, Babina, oppida sunt tria priuilegiata, quae arci Zólyom subsunt. Acceperunt tria haec oppida, vna cum Dobronivva, iunctim ius gladii.

8. Nec thermas prouinciae deesse dixeris Ribarienses certe, singularis sunt, vt dudum iam compertum est, virtutis. Antehac, non longe ab iis, antrum repertum fuit, cuius vapor aues praeteruolantes interimebat. De qua re, doctissimus Wernherus, de admirandis Hungariae aquis, mentionem facit; quae tamen cauerna, dudum iam lapidibus obruta est. Habet & aquas acidas, longe nobilissimas, ad vicum Csacsin, Vetusolii, geminas, ad Szalatinám et Viglélium arcem, aluo ciendae idoneas, ac vltra arcem in profunda montis Osztroskii valle, colore rubras, quin ad Ribarienses etiam thermas, saliunt, prioribus licet postponendae (p)

9. Supremi comitis dignitas, quae hic quidem est ambulatoria, nunc comiti ANTON. GRASSALKOVICS de Gyarak contigit.

§. VI.

COMITATVS THVROCZIENSES. Hungaris Thurócz-Vármegye, Germanis die Thuroczer Gespanschaft, nomen a flumine Thurócz, qui regionem irrigat, vel, vt alii volunt, ab arce collapsa eiusdem nominis, sortitus. Olim etiam Thuruch est dictus.

1. Est vero exigua et haec ora, tanta planitie extensa, vt hortum crederes. Ita montibus Carpaticis vndiquaque circumdatur. Ab oriente, li-

(p) Aquae acidae Zoliensi arci vicinae splenticis hominibus medelam adferre dicuntur. Werneher l. cit.

Liptouienſem et Zolienſem, prouincias reſpicit; in meridie Barſchienſi partim, partim Nitrienſi comitatibus, terminatur; in occaſu Trencſinienſi clauditur regione; Aruenſi in ſeptentrione.

2. Slaui hic habitant, gnaui alioquin omnes, et laborum patientiſſimi. Agrum quidem nacti ſunt, non infertilem, at, longe alendae incolarum multitudini inſufficientem. In pagis aliquot Germani etiam degunt veterum Gothorum, vel, vt aliqui malunt, Gepidarum reliquiae. Linguam profecto eorum non facile intellexeris. Ita corrupere Germanorum idioma. Alii tradunt, eos viciniosque Nitrienſes, eſſe, coloniam Metzenſeiffenſium, qui oram incolunt Aba-Vjvarienſem. Numerantur apud Thurocziensſes oppida 6. pagi 93. incolae 27975. inter quos Iudaei ſunt 135. In aerarium bellicum ſoluunt quotannis 31686 fl. 20 xr.

3. Pecuariam rem ſtudioſiſſime curant. Ouium certe cohortes numeroſas aliquae poſſeſſiones ſuſtentant. Piſcium non adeo ingentem copiam accipiunt.

4. Tametſi exilis ſit comitatus; tamen in quatuor proceſſus diuiditur, ab arcibus et oppidis, denominatos. Sunt vero:

(a) *Szklabinyenſis*, arcem fere cognominem ambiens,

(b) *Blatniczenſis*, nomen ferens ab arce, cui ſuffuſus eſt.

(c) *Moſchouienſis*, ſeu Moſchotzienſis, ſic dictus ab oppido Moſchotz.

(d) *Znio Clauſtrenſis*, ab arce praepoſiturae Thurocziensis ſic vocatus. Ille, in ſeptentrionem; hic, in orientem; iſte, in meridiem; vltimus denique, in occidentem recedit.

5. Inter arces prouinciae numerantur:

1. *Sklabina*, regionis Thurocziensis et dynaſtiae Sklabinenſis caput, vt Velius monet, p. 48.

2. *Blatnitza*, ambae dominio Revayano accenſae.

3. *Znio*, iuris erat PP. Iesuitarum Tyrnauiensium, praepositura celebris inter reliquias arcis Thurocz, quae nomen comitatui impertiuit, censetur. (*p*) Oppida memoratu digniora sequentia sunt:

(a *Sz. Márton*, St. Martin, in mediam prouinciolam reiectum in processu Szklabinensi. Oppidum frequens et in amoena planitie situm, publico nobilium conuentu, et nundinis clarum. Saeculo XIV. inter liberas et regias ciuitates locum tenebat, nunc iuris est Revayani.

(b *Moschótz*, Mossowcze, in orientem vergit aestiuum, positu hilari, in processu eodem nomine insignito. Nundinae, hoc in oppido, maiori ex parte ad Revayanam pertinente dominationem, celebres solent institui.

(c) *Szutsan*, Sučany, ad Vagum, qui comitatum inde a septentrione perluit, positum est in Szklabinensi processu. His subnecte:

(d) *Turan*, Turany, ad fluuium Vagum, versus Aruensem comitatum. Est etiam iuris Revayani.

(e) *Toth-Próna*, Windisch-Proben, Slowenske Prawno, Slauis, oppidum mediocre, tres in curias diuisum, in Znio claustrensi processu.

(f) *Znio Varallya*, oppidum arci cognomini subiectum, in eodem, quo prius, processu. Neque praetereundus est vicus.

Beo

(b) Celebre castrum hoc fuit aetate media, ab Andrea Forgách toga sagoque celebri viro excitatum. Receperat, se ad illud, post cladem, a Tartaris in agris Borsodiensium haustam, anno 1241. Bela IV. rex Hungariae. Quod arci subiectum est oppidum Znio Varállya, ob coenobium Kláštór, i. e. claustrum dictum, ad patres societatis Iesu pertinebat. In arce hac, anno 1252. condita fuit Praemonstratensium B. M. V. sacrata praepositura. Iesuitae dynastiam hanc elegantem a Rudolpho II. imperatore acceperant. Anno 1558. Romano Catholici synodum ibi celebrauerunt.

Bela, Bela, ſaxis copioſus, olim liberae, regiaeque villae iuribus gaudens.

6 Aquae calidae, ad pagum Stuben, quem Cremnitzium poſſidet, alias thermae Stubnenſes dictae, optimis ſaluberrimisque Hungariae adnumerantur. Acidulas certe, hinc et inde, nobiliſſimas ſcatere videas.

7. Supremus comes isque perpetuus eſt LVDOVICVS liber Baro de REVA, cui genti nobiliſſimae ſumma haec dignitas, haereditaria eſt. Conventus publici in meditullio prouinciae, in oppido Sz. Marton habentur.

§. VIII.

COMITATVS BARSCHIENSIS, (Barſienſis) Hungaris Bars-Vármegye, Germanis die Barſcher Geſpanſchaft, nomen ſortitus ab vrbe, vel caſtro olim celeberrimo Barſch, quod hodie in pagum abiit, Tekow, vulgo dictum. Quare Slauis etiam Tekowſka Stolice, venit.

1. Decurrit iuxta Gtanum amnem, inde a Zolienſis, et Hontenſis comitatus, collimitio, ab oriente; ab occidente, Nitrienſi; a meridie, Strigonienſi et Comaromienſi; a ſeptentrione, Nitrienſi et Thuroczienſi comitatibus, coërcetur. Totus is, 10. ſi longitudinem ſpectes; ſi latitudinem, 3. 4. alibi et 5. patet milliaria.

2. Colitur potiſſimum a Slauis, ad ruſticandum ſolertibus. Interſunt paſſim Germani etiam, ſed pauciores, iique, per Cremniczienſium ditionem ſparſi. Nec Hungaros deſideraueris, qui Leuenſem proceſſum fere totum incolunt. Deprehenduntur in Barſienſi comitatu pag. 189. oppida 11. animae 86555 Iudaei in hoc comitatu non tolerantur. Aerarium bellicum accipit quotannis ex comitatu 93164 fl. 42 ½ xr. praeterea ex duabus eius vrbibus 9643. fl. 40 xr.

3. Altera regionis pars montoſa eſt; planior altera, quae meridiem reſpicit. Naturae benefi-

ciis abundat profecto. Nam. et annonae facilitate, et re pecuaria copiosa satis est; immo, auri etiam, argentique fodinis excellit. Id notata dignum: regionem, in pago Hlinik, Geletnek latine, lapidum molarium fabricatione, prae reliquis Hungariae comitatibus, proficere maxime, & id quidem adeo, vt vniuersae ferme Hungariae, hoc laboris sui documento, sufficiant incolae.

4. Numerat processus tres, et sedem Verebéliensem, praedialistarum archiepiscopalium. Sunt autem:

(a) *Oszlanensis*, qui ab oppido Oszlany dictus, eam comitatus regionem occupat, quae, in aquilones, aduerso Grano, vsque ad Cremniczium, excurrit. Superior etiam vocatur.

(b) *Kis Topolcsanensis*, nomen a Kis-Topolcsan mutuauit, in occidentaliorem comitatus oram, recedens.

(c *Leuensis*, in meridiem, vltra Granum repressus.

(d) *Sedes Verebélyensis*, nomen a munito olim et militari oppido Verebély sortitus est; diffunditurque pone Zitvan, amnem, per Nitriensium confinia.

5. Duas admodum montanas vrbes, in se complectitur.

1. *Cremnicium*, Hungaris Körmöcz-Bánya, Germanis Kremnitz, Slauis Kremnica. Montanarum ciuitatum caput est, exigua admodum, reiectaque in vallem. Discedit Neosolio tribus in occasum milliaribus Vrbs interior, triginta & duabus saltem domibus constat, suburbiis eo amplioribus. Ciues Germani plerique sunt, excolendis auri argentique fodinis intenti. Reliquum vrbis adspectum, camera regia montana, vbi moneta et aurea, et argentea cuditur, sedesque camerae comitis, reddunt illustriorem. Id non praetereundum est, sabulosas aquas mineraliumque effluuia, id efficere, vt nonnullos vrbis sortis inferioris incolas strumosos videas, eosque

pecu-

peculiari quodam idiomate Germanico loquentes. Sodales S. Francisci eo deduxit Georgius Lippai, archiepiscopus Strigoniensis. Vrbs ipsa integra, cum maxima parte suburbiorum, fatali incendio, quod d. 15. aprilis 1777 magno cum impetu eruperat, in cineres conuersa est.

2. *Regiomontum*, Hungaris Vj-Bánya, Germanis Königsberg, antiqua Ciuitas, sita incommode, propter montes, vtraque ex parte impendentes, nullo clausa muro. (q)

6. Multis antehac arcibus insidebatur comitatus. Nunc, siue temporum iniuria, siue negligentia hominum, id accidit, quod plerasque desertas obserues. Coluntur tamen hucdum sequentes.

1. Sachsenstein, ad Grani ripam posita, bis mille passibus Vetusolio distat. Saxonum coloniam dixerim, quod nomen ipsum indigitat.

2. *Ghymes*, finitima prouinciae Nitriensi, inclutae, et peruetustae comitum Forgach fa-

 miliae

(q) Auri fodinam, priscis temporibus, tam opimam coluit vt metallicis haud alia vmquam tribueretur merces, quam pulueres aurei, qui vestibus eorum, instrumentisque adhaeserant. Posthaec vero, quae summa hominum leuitas est, ciues, institutis in montis visceribus conuiuiis, tantam hanc benedictionem diuinam fortassis a se auerterunt. Accidit enim, vt mons sub ipso conuiuii tempore, cauatus vndiquaque, corrueret, centenis aliquot, vtriusque sexus hominibus, interemptis. Sanguis certe occisorum, diebus aliquot, e canali principe, Germani Erbstollen dicunt, emanauerat. Et hic demum, terminus diuitiarum positus fuit. Licet enim diu in id incubuerint incolae; vt restitueretur statui priori fodina; frustranea perpetuo fuit opera. Adhibita fuit insignis illa machina igniaria (dicemus de ea in comitatu Kis-Hontensi ad vrbis Schemniczensis descriptionem) quae montis aquas exhauriret; sed, eo impensis omnibus, res peruenit, vt tandem inculta relinqueretur aurifodina. Ceterum, quod ad incolas attinet, Slavi ii sunt, solertes agricolae. Machinam igniariam inuenisse, et primus fabricasse perhibetur, anno 1721. Isaacus Potter, Anglus Mathematicus. Vide Dominum de Born Briefe über mineralogische Gegenstände.

miliae natalibus, cuius etiam dominio subest, nobilitata.

3. *Leua*, Germanis Lewenz, Slauis Lewice, egregium olim munimentum, nunc solo aequatum, oppido cognomini, quod pecuariis potissimum nundinis inclaruit, gloriam cessit.

4. Merito huc et praeposituram S. Benedicti, iuxta Granum, retulerim. Coenobium est munimento simile. quod, rupem non equidem altam; sed firmam insedit, pone oppidum eiusdem nominis, propugnaculis altissime insurgentibus instructum. Fundasse illud perhibetur Geysa primus rex Hungariae circa annum 1075. Conuentui vero huic canonici Strigonienses praesunt. In ruinis sunt arces Hrusouiensis, Reuistynensis, et Sasköiensis.

7. Oppida praecipua haec fere sunt.

In processu Oszlanensi:

(a) *S. Crux*, Hungaris Sz. Kereszt, Germanis H. Kreuz, Slauis Swaty Kriz, Grani fluminis litora occupat. Praedium est episcopi Neosoliensis, qui elegans ibi castellum habet. Suberat, a multis saeculis, vsque ad annum 1776. quo Neosoliensis episcopatus fundatns est, cum aliquot oppido vicinis vicis, archiepiscopo Strigoniensi.

(b) *Zernouitz*, (Zarnocz) duobus a priori in vlteriora prouinciae recedit milliaribus. Pertinet ad fiscum regium, et, a pane praestanti, quem Schemnitzientibus suppeditat, panaria eorundem vocatur. (*r*)

(c) *Velka Polya*, oppidum.

(d) *Oszlan*, agrum frumenti, inprimis hordei feracem insedit.

In

(r) Acceperat prope oppidum hoc Turca anno 1664. cladem.

In Kis - Tapolcsanensi Processu.

(a) *Szent Benedek*, Swaty Benedyk, S. Benedicti oppidum iuxta Gron (Granum), amplum et frequens oppidum.

(b) *Aranyos - Maroth*, Slauis Morawcze, oppidum olim miserae sortis, quod tamen herus, Paluska, singulari opera instaurauit. Est innexum inclutae familiae huius titulis.

(c) *Kis - Tapolcsan*, Slauis Male Tapolcany, elegans cum castello oppidum. (*s*)

In Levensi Processu.

(a) *O-Bars*, Bersenberg, Tekow. oppidum, a quo totus comitatus accepit denominationem. Cum Uj - Bars occasum respiciente, ponte iungitur. Solet eidem multum adferre detrimenti praeterlabens Granus per crebras eluuiones. Competiisse illi olim axioma liberae et regiae ciuitatis discas ex. decr. Caroli I. regis Hungariae.

(b) *Leva*, oppidum olim celebre, satis copiosum est, et nundinis non inclarum.

(c) *Szöllös*.

(d) *Salló*, *Nagy - Salló*.

In sede Verebéliensi occurrit *Verebély*, Wrable, olim aggere et fossa munitum, nunc desolatum oppidum, ad amnem Zsitvám. Est caput sedis Verebélyensis, Strigoniensis archiepiscopi iuribus adstrictae. Nobiles, qui ad praedia archiepiscopi Strigoniensis pertinent, non subsunt comitatus iurisdictioni, sed peculiarem habent palatinum atque magistratum.

8. *Thermae Sklenenses*, Germanis das Glashüttenbad, salubritate maxima notiores sunt, quam vt longius eas recensemus, respiciunt Schemnicio aquilonem loco quidem montibus incluso; amoeno tamen et

---

(s) Pertinebat olim ad nobiles de Kis - Topolcsán, Ferd. I. decr. XIX. 29.

et amniculus praeterlabens, aedes ferme adluit. Acidulae pro thermarum praestantia. pensitari queunt. Non enim frequentes modo sunt, sed salubres etiam, prae reliquis. (t)

9. Comitis supremi non tamen hereditarii, axioma habet comes FRANCISCVS XAVER. KOLLER, de Nagy-Mánya.

§. IX.

COMITATVS COMAROMIENSIS, Hungaris Komárom Vármegye, Germanis die Komorner Gespanschaft, à Comaromiensi vrbe sic nuncupatur. Et quidem:

1. Positus cis- et trans-Danubium est; nihilominus tamen, quod princeps locus citeriorem partem occupet, ad cis-Danubianos referendus. Haec vero Cis-Danubiana regionis portio, et vniuersim; et qua in insulam Cituorum, maiorem comitatus partem constituente, diffunditur, absoluitur planitie; Trans-Danubium vero, quod superat, montibus horrescit, latere meridionali. Concluditur comitatibus, Posoniensi a septentrione, Nitriensi ab ortu, Strigoniensi a meridie, ab occasu Iaurinensi.

2. Incolae Hungari, agrum potissimum colunt; si tenues quasdam Slauorum ac Germanorum colonias exceperis. Habet oppida 4. pagos 79. in quibus 7 587 homines degunt, quos inter 721. Iudaei sunt. In aerarium bellicum soluunt quotannis 68883. fl. 20. xr.

3. Ceterum foecunda sane regio est. Nam, et agrorum, et vinearum cultum, egregie promouet, et proficit re inprimis pecuaria, ob late patentem, planitiei, qua consedit, pascuorum vbertatem. Pisces quoque magna in copia Hungaris et Austriacis vendit. 4. In-

(t) Ad Regiomontum acidulae praestantes spleneticis in primis opitulari dicuntur. Werneher. de admirand. Hungariae aquis pag. 854.

4. In quatuor processus dispescitur, vtramque Danubii ripam cum parte insulae Csallököz, quae ad prouinciam hanc refertur, occupans. Sunt vero illi:

(a) *Tatensis*, ab oppido Tata cognomen trahens, quem aliqui Iaurinensem etiam vocant, trans Danubium quaerendus.

(b) *Udvardiensis*, a loco Vduard, a quo Vduardensis denominari deberet, accedit ad Nitriensem comitatum.

(c) *Gesztesiensis*, ab arce Gesztes, quae, in ruinis est, nomen accepit. Vicinus est Strigoniensi comitatui.

(d) *Insulanus* occupat partem insulae Csallököziensis.

5. *Princeps* comitatus vrbs libera, atque regia, ab anno 1751, *Comaromium* est, quod Germani Komorn, Hungari Komárom, Slaui Komárno, adpellitant. (*u*) Cui adiectum est propugnaculum celebre, nunquam interceptum adhuc, cura et sumtu Ferdinandi I. et Leopoldi M. eductum auctumque. Ad extrema insulae Cituorum illud reiectum est, virginis insigni nomine donatum, eo, quod nunquam illud Turca expugnaverit. In cuius rei memoriam, statuam erexere, forma virginis, altius procedentem in propugnaculorum serie, quae, manu quidem altera coronam; ficum altera, qua Ujvarinum prospicit, ostentat. Praesidiarii olim Germani erant, nunc Hungari sunt. Ciues Hungari, Germanos quoque admittunt in societatem. Succussione terrae, anno 1763. mense Iunio, hic, vicinisque in oris, obseruata, male adfecta est. Rediit, eodem et insequenti anno, quouis fere mense

(u) Anonym Belae R Notar c. 15. Camarum illud vocat, Vbi addit, castrum hoc, ab Oluntalma, filio Retel esse fundatum, a quo regio Retelpotaca est denominata.

se terraemotus, et impediuit, quo minus aedes, quae necdum ruina collapsae erant, restitui, et ciues secure in ea degere potuerint. (x) Praebet, quod adhuc notandum est, vrbs domicilium Franciscanis et Trinitariis. Nec Rascianis Graeco ritu DEVM colentibus, liberum denegat religionis exercitium. Templum et collegium, quod Iesuitae habebant, magnum est, & elegans. Scholas vero sodales D. Benedicti sunt consecuti.

6. Arces, seditione Rakotziana nupera, dirutae sunt fere omnes. Supersunt:

1. *Tata.* quae et Dotis, Data, arx elegans, trans Danubium resedit. Matthiae Coruini, olim receptaculum fuit, nunc comitis Francisci Eszterhazi, herediis adnumeratur. Habebat hic Matthias Coruinus viuarium piscibus varii generis repletum, vnum ad milliare protensum. (y) Mons, in quo oppidum situm est, marmor rubrum suppeditat. Erat quoque hic olim Benedictinorum abbatia SS. Petri, et Paulli non incelebris. Pertinebat primum ad Theodatum comitem, qui S. Stephanum e sacro leuauerat fonte. (a) Scholae equestri liberalitate Augustae Reginae fundatae Szemptzino huc translatae, praesunt patres scholarum piarum.

2. *Vithan*, castrum non longe a Banhida inter siluas in monte positum est. (a)

3. *Gesztes*, a qua processus cognominis, in ruinis est, (aa) 7. Op-

---

(x) Est quoque hac in vrbe anno 1440. Ladislaus posthumus rex Hungariae, in lucem editus. Saeculo vero superiore, scilicet anno 1631. Leopoldus Kollonich, patre Ernesto, belliduce celebri, praetoreque vrbis, (quem gubernatorem vocant;) matre Elisabetha a Kuffstein.

(y) Kaprinay, in hist. diplm. P. II. p. 149 351.

(z) M. Thurocz. in Chron. P. II. c. 10.

(a) Kaprinay in hist. dipl. P. II. p. 148

(aa) Kaprinay illam in comitatu Albensi quaerit.

7. Oppida, pauciora insunt prouinciae.

1. *Tata*, Tatensi arci adpositum, celebre est, incolarum copia, et nundinarum, profectibus

2. *Nagy - Megyer*, (Megyer) in insula Cituorum.

3. *Gutta*, ad quod Vagus in Danubium se exonerat. Habebant olim hic reges antacaeorum viuarium, per oram fluminis, roboreis palis circumclusum, quorum trunci, amne decrescente, hodie adhuc obseruantur. Plurimi hic pisces huchdum capiuntur, et Viennam vsque venum exponendi, mittuntur. Notandus adhuc est vicus *Neszmély*, Germanis Langendorf, (longa villa) inter Comaromium et Strigonium. Albertus enim imperator, et rex Hungariae, quum Buda Vindobonam properaret, anno 1439. in eodem obiit. Insedit is ripam Danubii, quae occidentem versus est. (*b*)

8. Thermas habet ad Tatam oppidum, de quo modo dictum, satis inclutas.

9. Supremus, isque simul perpetuus comes est MICHAEL comes de NADASD, perpetuus terrae Fogaras. Conuentus publici Comaromii habentur.

§. X.

COMITATVS NAGY et KIS - HONTENSIS. Ille quidem Hungaris Nagy - Hont - Vármegye, Germanis die Großhonter Gespanschaft, hic Kis-Hont - Vármegye, die Kleinhonter Gespanschaft, dicitur. Olim vnus comitatus erat, Hontensis, vel Huntensis dictus, seu a castello cognomine, seu a prisca nobilique gente Huntiana, aetate demum Fer-

(b) Aliqui malunt adseuerare, Albertum, in vico Megyer, in insula Cituorum vel prope Budam, vbi cognominis possessio etiam deprehenditur, extinctum esse; Reuera in Neszmély obiit, quod documentis indubiis docetur.

Ferdinandi I. regis, duas in partes laceratus est. (c) Nos de ambobus seorsim breuiter.

1. NAGY HONTENSIS COMITATVS. Incingitur versus septentriones partim Zoliensi comitatu, partim Neogradiensi, ab occidente Barschiensi, Gömöriensi, Heuessiensi et Neogradiensi, ab oriente; a meridie Barschiensi, et ex parte etiam Strigoniensi. His terminis, per 8. fere milliaria, ab aquilone in meridiem, amoena montium et planitiei vicissitudine excurrit.

2. Slaui incolunt, et Hungari, immo Germani etiam, pauciores tamen. Vtrique illi, laboriosi agricolae. Sunt in Nagy- et Kis-Hontensi comitatu pagi 205 oppida 10. Animas numerat facile 90,000 Comitatus in aerarium bellicum anno quovis administrat 108,146 fl. 50 xr. et praeterea tres vrbes liberae regiaeque in eodem prostantes 10849. fl. 7 ½. xr.

3. Ceterum, si fertilitas regionis spectanda venit: nulli eam, cuiuscunque demum prouinciae secundam dixerim. Nam, et agros, vbi ineunt plana, et pascua in iis, quae pecus nutriunt, et aurum, metallorum genus praecipuum argentum, cuprum, mineras varii generis, et vinum praestans, exhibet. Vt reliqua vitae adminicula, quae hic copiosa sunt, praeteream. Montibus vtraque regio abundat, quos inter Börsönyenses, Palástienses, Schemniczienses, et Szitnenses praecipui sunt. Fluuios et riuos etiam complures habet, scilicet Danubium, Granum, Ipolam, Rimanum, Carponensem, Bakabanyensem, Schemniczensem, alios (d) Nec fontes desunt comitatui, qui guttas fundunt lapidescentes, acidi, ac salubres. Habet praeterea granatellos,

na

(c) Ferdin. I. Decr VI. „ 37.

(d) Kis-Hontensium fluuios et riuos enumerat Timon in notione Tibisci p. 92. seq.

natiuos colores, cinnabarim, vitriolum, omnis generis fossilia, vt et metalla foliaque Tabacci, in Füzes-Gyarmath ac Palanka praestantissima.

4. Comitatus Nagy-Hontensis tribus designatur processibus.

(a) *Schemniciensi*, qui montano situ vrbi ei circumfunditur. Colitur a Slauis, paucioribus Hungaris, et nonnullis Germanis.

(b) *Bozokiensi*, ab arce et oppido Bozok sic dicto. Montoso, et hic positu est, in orientem recedens.

(c) *Bathensi*, qui nomen a praecipuo oppido Bath, mutuauit. In plano positus est. Slauos alit et Hungaros.

5. Tres ei liberae regiaeque ciuitates sunt: In his princeps:

1. *Schemnicium*, Hungaris Selmetz-Bánya, Slavis Stawniza, quod nomen in antiquis etiam priuilegiis occurrit, Germanis Schemnitz. Olim etiam Schebnitz et Bana vocabatur, & sunt,, qui, ante quatuor et decem saecula, Schemnicium vocatum esse negant. Maximam merito vrbium montanarum dixerim. Nam, et frequentia populi, et auri, argentique fodinis, reliquas antecellit. Positum incommodum accepit, quippe, domus sine vllo ordine, si forum duplex excipias, in montium praecipitiis conspiciuntur, quae tamen ex lapidibus exstructae sunt. Habet ciuitas aerarium metallicum, seu cameram caesareo regiam, quae locum natura incommodum, reddit illustrem. Praebet praeterea, domicilium summo aerarii metallici praefecto (Cammergrafio dicto) et octoviris, quos socios habet. Academia Schemniciensis metallica incomparabili augustae reginae

(e) Prisca aetate, Simon Rozgon Agriensium episcopus, qui Elisabethae reginae, et filio eius Ladislao posthumo opposuerat arma, plurimum Schemnicio adtulerat calamitatis. Ordo praedicatorum ibi anno 1275. domicilium, consecutus est, illudque 214. propemodum annis retinuisse dicitur. PP. Soc. Jesu consecuta est vrbs Leop. M. imperante.

liberalitate fundata, omnibus ordinis huius, quae in Europa deprehenduntur, celeberrima est. Jaquin, Delius, Poda, Peithner, & Scopoli, omnes, longo post se interuallo reliquerunt, eos, qui manuductionem ad rem metallicam hic exhibuerunt. Platearum aliquae longius reiectae sunt, oppidaque et vicos formare videntur. Windschacht & Schittersberg, amplius mille passibus ad vrbe rejectae sunt, Hodrusa, integro milliari. Habent in vrbe hac Augustanae confessioni addicti suum oratorium, et scholas.

Fodinarum praecipuae sunt:

(a) Windschacht, in austrum recedens. Tantae ea altitudinis est, quanta vix vllam in tota Europa, metalli fodinam, credunt plurimi. Hic illa igniaria est machina, a Fischero exstructa; quae, quod immensae profunditatis in fodina aquae erat, exhauriebat. Piberorum sectura alias vocatur, ab auctore Georgio Piber, qui, eam, praecipite Saec. XV. aperuit, denominata. (*f*)

(b) Bacher-Stolln, et Dreykönigs-Stolln, duae fodinae, ad austrum, itidem Schemnicio vergunt. Ciues vrbis plerique Germani sunt; metallifossores inprimis, Slaui pauciores.

(c)

(f) **Windschacht**, vocari existimant nonnulli, propterea quod liberiorem, prae reliquis, habeat auram. Florebat haec fodina saeculi inprimis superioris parte posteriore, et quae de prouentu auri, argentique, ex libris metallicorum, auctor topographiae M Regni Hungariae, Vindob. anno 1750. recusae adiecit, fidem omnino videntur superare. Celeberr. Delius nuper admodum ostendit, ab anno 1740. ad annum 1773. aurum et argentum in territorio Schemniciensi erutum 70; ex Cremnicienfibus vero, et Schemnicienfibus fodinis, 100, florenorum milliones superasse. In officinam monetariam Cremniciensem vtraque ex vrbe 2489. marcae auri praestantissimi, argenti vero, 92267. marcae suppeditatae esse dicuntur. Ex qua auri argentique massa 3. milliones, et 43000 fl. procusi esse perhibentur. Quia vero argento Schemniciensi haud parum auri admixtum est: proprerea Marsiglius, suo in prodromo, omnibus, quae in Europa sunt, secturis metallicis, Schemnicienses anteponit.

(c) *Hof*, seu Schittersberg, Banki, hodie, vt olim diuitibus venis excellit.

2 *Bela-Bánya*, Latinus Dilna, Germanis Dilln, Slauis Bela, propius abest Schemnicio in septentriones vergens. Exigua haec vrbs Germanos alit et Slauos, aeque ac Schemnicium, agriculturae tamen magis, quam rei metallicae studiosos. Non desunt, qui Bela III. regnante, floruisse vrbem hanc existimant, a Tartaris demum saec XIII. euersam.

3. *Baka-Bánya*, Germanis Pugantz, Slauis Pukanetz, aurum fodit, exiguo nunc ciuibus lucro. Vini ergo potissimum, et agrorum cultui, tribuunt operas. Vrbs ipsa, murie ad arcendos Turcas a montanis cincta, Schemnicio occasum versus ad duo milliaria reiecta est.

6. Arces duas potissimum celebres numerat:

1. *Csabrágam*, Hungaris Csábrág (g) munita est, monti imposita, Kohárianae genti dedit origines, et incrementa.

2. *Szitnam*, quae montem occupat altissimum; vnde maxima fere Hungariae pars, qua decurrit, planitie, est conspicua. Recedit Schemnicio in solem meridianum medio milliari. Dolendum vero, arcem hanc, nunc tantum ruinas ostendere. Pertinet etiam ad dominationem comitum KOHÁRY.

3. *Dregely*, arx olim non incelebris, de qua Olahus in Hungaria. Lib. I. cap. 10 §. 6.

4. *Castellum S Antonii*, (Szent-Antál) iuris Kohariani, Schemnicio vicinum, castello eleganti exornatum.

7. Insignia prouinciae oppida sunt:

In processu Bathensi

(a) *Báth*, Germanis Frauenmark, Slauis Batowcze, foe-

(g) Chabragum, cuius situm Istuanff. Lib. XVI. pag. 286. exposuit.

foecundum campum insedit, nundinasque frequentes habet.

(b) *Máros.*

(c) *Börsöny*, Germanis Pilsen, montibus circumdatum, Ipolyam versus respicit. Montanam Saxonum coloniam fuisse adfirmant, quae auri argentique fodinis operabatur.

In processu Schemnitziensi.

(a) *Anthal*, oppidum Schemnicio vicinum, iuris Kohariani.

(b) *Ságh*, Sagh, quod olim praepositurram Praemonstratensium ordinis, opibus iuxta ac conuentu claram, alebat. (*h*)

(c) *Szebekléb*, Germanis Klieb, Slauis Sebechléby, inquilinos Germanos alit, olim a Gelone quodam saepe delusos.

(d) *Némethi*, Németum, 1721. in numerum oppidorum priuilegiatorum relatum, capit in dies maiora incrementa.

In processu Bozokiensi:

(a) *Bózok*, Slauis Bzowik, praepositura, quam saeculo superiore, Iesuitae consecuti erant, inclutum. Pertinebat hucdum ad Szelepcsinianum seminarium; olim ad praeposituram Praemonstratensium. (i) No-

(h) Istuanffi vocat Lib. XVIII. p. 332. castellum monachorum Benedictinorum. Thurocz P. IV. chronic. p. 48. secus Ipolam illud locat. Sunt, qui putent, familiam Hunt Pazmanianam praeposituram hanc fundasse, quod circa annum 1260. euenerat. Conuentus Praemonstratensium, qui hic erat, sigillo gaudebat, et executiones, vt vocantur, in comitatu Gömöriensi peragebat. Wladislai Decr. III. 13. Deuenerat praepositura saeculo XVII. ad Jesuitas Neosolienses, iam ad Neosoliensem episcopum spectat.

(i) Conditorem praepositurae aliqui faciunt Lambertum ex sorore S. Ladislai regis, Sophia nepotem. Id vero euenisse dicunt, Stephano II. apud Hungaros imperium tenente. Addunt primam hanc, vel vnam ex primis, Praemonstratensium ordinis in Hungaria fuisse praeposituram. Saeculo demum XVI. suo ex-

Notari adhuc meretur Oroszy, iniuria temporum deletum oppidum, quod liberos homines alebat. Hi vero ianitores, apud regem et reginam erant, et a tributis pendendis prorsus immunes (k).

8. Thermas habet insignes Vihnenses, Germanis das Eisenbacherbad. Vicinarum vrbium ciues frequentes eo confluunt. Deprehendes ibi sudatoriam cauernam; vbi gradus adpositi, sudantibus saepius, immo et balneantibus, apprime commodi sunt. Hinc, suapte natura, locus adeo calefit, vt ad ignem admotam aquam putares, quae e saxo destillat. Acidulae, ad vicum Magyarad nobilissimae sunt.

9. Comite supremo, et perpetuo IGNATIO e comitibus KOHARY de Csabrág, anno 1778 mortuo, accepit comitatus administratorem IOSEPHVM ERDÖDY de Monyorokerék.

II. Kis-HONTENSIS, qui

1. Ab occidente, Zoliensi prouinciae; Gömöriensi a septentrione et oriente, proximus accedit; qua vero in meridiem prospicit, regionis Neogradiensis limitibus terminatur. Situs eadem, quae Nagy-Hontensi, conditio est. Nam, hic campos, ibi montes metalliferos videas. Medium Rhima fluuius perfluit, quem Slaui Rhimawa, dicunt. Non procul is Taxouia, natus, inde, ab ortu, in occasum procedit, ac, vbi Rhima-Szombathum praetergressus est, Sajoni fluuio immergitur.

excidit praeposito. Occupata namque fuit, vt multa alia bona ecclesiastica, a viris ciuilis ordinis, quod ex Maximil. Decr. II, 31. euidens est. Pertinebant ad dynastiam hanc 13. possessiones.

(k) Horum fidem laudibus multis extollit Nicol. Olahus in Hung. Lib. I. cap. 10. §. 6.

2. Inquilini ad septentrionem, Slaui sunt; ad orientem Hungari, mox camporum cultui, mox metallifodinis intenti. Habet prouinciola haec 33. pagos, duo oppida.

3. De foecunditate nihil adtinet dicere. Nam, campi omnino, vt in priori etiam comitatu, frugum, fructuumque omnis generis, patientissimi sunt, montes plerique metallis insignes.

4. Duobus potissimum oppidis nobilioribus colitur.

(a) *Rima-Szombath*, Slauis Rimawská Sobota, Germanis Großsteffelsdorf, ad amnem Rima dictum, copiosum oppidum, libertatis priuilegio donatum, ciues solertes alit, qui nundinarum maxime prouentibus proficiunt.

(b) *Taxouia*, Hungaris Tiszoltz, Slauis, Tisowetz, Germanis Teißholz, eo potissimum illustre, quod cum ferrum fodiant, magnete etiam, tamquam ferri comite, copiose potiantur. Acidulas quoque habet. Slaui habitant, homines laborum impigri. Pars oppidi ad fiscum regium, pars ad familiam Kubinyi pertinet.

5. Sunt et castella quaedam, ignobiliora tamen nunc, quod pleraque intercideriut. Memoratu haec duo digna sunt:

1. *Rabo*, et
2. *Osgyán*, ambo sic satis elegantia, hodie nobilium dominationi subiecta sunt. Apud Osgyán, Basta, Botskaianos, notabili clade, initio saec. XVII. adfecerat.

6. Peculiari districtus hic vicecomiti subest; licet eundem, cum priori prouinciola, supremum comitem et magistratum agnoscat. Solent interdum conuentus publici Nagy- et Kis-Hontensium Rima-Szombathini celebrari, alias in vico Kemencze, in quo etiam sumtu prouinciae capax elegansque domus excitata est.

§. XI.

§. XI.

COMITATVS NEOGRADIENSIS, Hungaris Neógrád - Vármegye, Germanis, die Neograder Gespanschaft. Nomen fert ab arce deserta Nógrád (1) quae episcopi olim Vaciensis fuerat. Hic

1. Ad septentrionem init, in Zoliensium, et Kis-Hontensium limites; vnde demum, perpetua camporum serie, ad 10. fere milliaria, vsque in S. Andreae insulam, porrigitur. Cui, ad orientem, Gömöriensis, et Heuesiensis; ad occasum, Nagy - Hontensis; Pestiensis ad meridiem, vicinae sunt prouinciae.

2. Quos alit regio, Hungaricae partim gentis sunt, partim Slauicae, qui regionem, summa diligentia, omnique studio, excolunt; processus Lossonciensis, atque Kékköiensis incolas, per dicterium Krekácsios dicimus, solertes alioquin materiarios habet. Sunt in toto comitatu pagi 246. oppida 8. aerarium bellicum ex comitatu hocce quotannis recipit 79215. fl. 50 xr. animas numerat 110850, inter quas 990 Iudaico ritu Deum colunt.

3. Reliqua comitatus conditio ea est, quae optima. Optimis enim Hungariae prouinciis, tam ob sedulitatem incolarum, quam prudens etiam regimen, adnumeratur merito. Est quidem septentrionali, orientalique latere asperior paullulum; eo, quod montibus, qui planitie multo crebriores sunt, horrescit: at vero, vbi in meridiem et orientem vergit, eo inprimis tractu, Cserhát vulgo nominant, vino, frumento, optimis acidis fontibus, omnibusque vitae adminiculis ita proficit, vt naturam omnes eo diuitias contulisse credas. Montes tam alti plerique sunt, vt nubes inferiores transeant. et in aliquibus falcones etiam visuntur. Sunt vero praecipui:

(1) Annon. Belae R. Notar. c. 33. Neograd.

Medues, Szanda, Matra; qui ultimus inde ab Heueliensi comitatu, vsque huc protenditur. Irrigatur Ipolya, piscibus praestantissimis abundante, Zágyva, et multis minoribus amniculis ac riuis. Ad Lónyo-Bányam aliqui, ferri, plumbi, immo, et auri argentique venas, pluribus in cuniculis, se obseruasse dicunt. Ad Czino-Bányam stannum erutum fuisse fertur.

4. Bifariam hic comitatus diuiditur: ecclesiastice, et ciuiliter. Illuc adtinet diuisio in NAGY- et KIS-NOGRÁD, siue, in maiorem et minorem Neográd. Quorum ille totus dioecesi archiepiscopatus Strigoniensis; hic, dioecesi episcopatus Váciensis, admensus est. Ciuilis vero, quam diximus, partitio, processibus quatuor absoluitur.

(a) *Losontziensis*, ab oppido Losontz, sic adpellatus, montosi positus, inter Filekiensem ab oriente, et Kéköiensem ab occidente, in aquilonem, ad fines vsque Zoliensis comitatus, secedit.

(b) *Filekiensis*, ita vocatus ab arce et oppido, olim celebri Filek, protenditur. Losontziensem ab oriente, habet, post ad Kis-Hontensium, Gömöriensium et Heueliensium fines quaerendus.

(c) *Szécsénienfis*, accepit id nominis ab militari olim oppido Szécsény, qui campis non minus vberibus, quam siluis, infessus, recedit in meridiem.

(d) *Kekköiensis*, dedit ei nomen arx Kekkö, Germanis Blauenstein, Slauis Modry Kámen. Tenet is oram comitatus occidentalem, decurritque prope fines Nagy-Hontensium, ab aquilone in meridiem.

5. Arces crebriores habet, dirutas tamen, quamplurimas. Coluntur hucdum:

(a) *Kékkö*, (m) Germanis Blauenstein, Slauis Modry Kámen, heredium est comitum Balassa. Et quidem iam XIII. saeculo ad gentem hanc ve-

vetustam illustremque pertinuisse dicitur, solum alias sterile ei obtigit

(b) *Hollokö*, Szétsénio in orientem aestiuum, vno milliari recedit. Occupat praecipitium siluis circumdatum vndique. Profecto, coruis, quam hominibus, habitatu commodior, quare coruorum etiam lapidem, i. e. Rabenstein, Germani adpellant; quod Hungaricum nomen aeque indigitat. Pertinet ad Forgacsiorum, et Szemeriorum dominationem.

(c) *Somoskö*, eiusdem fere conditionis, longius in siluis ad orientem solem recedit.

(d) *Güts*, Slauis Halitsch, amoenam comitatus regionem insedit. Quippe ampla obiecta planitie, medio in septentriones milliari Losontzino dissidet. Habet et oppidum, ad montis initia, quod pariter heredibus comitum FORGACS admensum est.

(e) *Salgó-Vára*, arx antiqua, in monte arduo constructa. Concessa est anno 1726. genti Szluhaianae.

(f) *Zágyva*, Zagyvavar, arx olim non incelebris, iam tamen solo aequata. Accepit a fluuio, quem vicinus eiicit mons, denominationem.

(g) *Bujak*, Bujakum, arx rupem arduam insedit, et, ad dominationem principis Eszterházy pertinet. (*n*) Olim quoque non incelebres erant arces, Samsonvara (Sásomvara) Szanda, et Bussa, quae rudera adhuc ostendunt.

6. Oppida sunt sequentia:

In processu Losontziensi.

(a) *Dévén*, comitatui Zoliensi vicinum elegans, quod prouidentiae comitis Caroli Zichi, ad quem pernebat, debet. Olim ad gentem inclutam Balassa

(m) Istuanff. Lib. XXV. pag. 345. Quecco.

(n) Saeculo XV. fuerat iuris Báthoriani. Istuanff. Lib. XVIII. pag. 332.

sa pertinebat. (o) Arx, editiori proximo loco imposita, diruta est. In siluis vicinis falcones nidos struere solent.

(b) *Gats*, (Gats) oppidum elegans arci cognomini subiectum, de quo supra.

(c *Losontz*, Slauis *Lučenec*, praecipuum comitatus oppidum, colonos Hungaros Germanos nonnullos, et Slauos sustentans. Recipit et nobilium multos. Ceterum, nundinis inprimis memorandum scimus.

In processu Filekiensi:

Filek, ad montis radicem adsedit mediocriter cultum et populosum. Arcem olim munitissimam praefectus Turcicus, cui cum Tökelio lites fuere diruit (p) Nunc Kohariis paret, et PP. Seraphicis domicilium praebet.

In processu Szétsénienfi:

Szétsény, Slauis Sečaný, iucundae vberrimaeque camporum seriei, infra Losontzium, duobus milliaribus impositum est. Turcae, postquam Budam subegissent, arcem validam, eamque finitimam et forti praesidio muuitam, hic possederant, quae tamen solo deinde aequata fuit. Seditioni Rakoczianae impliciti hic comitiolum anno 1705. celebrauerant. Oppidum hoc hodie aliquantisper deficit, et comitibus Forgacs paret. Habent in eo sodales Francisci Seraphici monasterium, quod Georgius Széchénius, hic anno 1592. natus, posuit.

In

(o) Istuanff. hist. Lib. XXV. p. 547.

(p) Blasio Raska mortuo, ad generum eius Franciscum Bebek de Pelsőtz deuenerat, Istuanff. Lib. XIX. pag. 353. Est ad arcem cauerna, ex qua superne destillans aqua lapidescit, formamque saxorum, et petratum induit. Werneher, de admirandis Hungar. aquis pag. 853.

In processu Kökköiensi,

(a) *Balassa - Gyarmath*, aliquibus Ipoly-Gyarmath; Slauis Djarmatv, munitum quondam, ad fluuium Ipolyam, perpetuo camporum decursu, positum oppidum, nunc decus pristinum resumit, olim propugnaculum Turcis obiectum. Est heredium illustris priscaeque gentis Balassa, a quo eadem praedicatum de Balassa Gyarmath) habet. Vocatur alias Nagy - Gyarmath, a Blasio magno, saeculo XIV. rebus praeclare gestis celebri, ita denominatum. (*p*)

(b *Kékkö*, oppidum arci cognomini subiectum.

(c) *Vadkert* Vadkertum, non pridem inter oppida relatum, quod ad archiepiscopum Strigoniensem pertinet. Saeculi huius anno 10. seditiosi, clade hic mulctati, stataria pugna nihil amplius tentare sunt ausi:

Notari adhuc merentur.

(a) *Nógrád*, Neogradum, a quo totus comitatus, accepit denominationem, in Kékköiensi processu. Olim erat oppidum, ad Vácziensem episcopatum pertinens, non incelebre, hodie vicus. Castrum oppido celebritatem conciliabat, quod Nicolaus Báthorius Váczienfis episcopus, omnem ad magnificentiam ornauerat, firmaueratque, opera industriaque Jacobi Tragurini. In medio turris erat, cui nomen Nicolai Báthori, ac gentilitia trium lupinorum dentium insignia habebantur insculpta. (*r*) Ab aetate Ferdinandi I. bellis procursionibusque multis, arx haec est valde afflicta, iam occasui vicina. (*s*)

(b) *KarantsBerényium*, vicus gentilitius gentis illustris comitum Berényiorum in processu Filekiensi.

(c)

(q) Istuanff. Lib. XVIII. pag. 333. vocat illud Balassianae gentis domicilium.

(r) Istuanff. Lib. XXVIII. pag. 623. situm eius describit.

(s) Anno 1685. Turcae illud Christianis tradere debebant.

(c) *Nagy Oroszinum*, oppidum olim non incelebre in processu Kékköiensi.

(d) *Komban*, vicus castello familiae Bene de Nándor exornatus, ortum versus porrigitur, in eodem Kékköiensi processu, Est memorabilis clade vltima Nicolai Bercsényi hic accepta.

7. Supremi comitis dignitatem ornat comes IOSEPH GEORGIVS BATTHYAN, perpetuus in Németh-Vjvár.

§. XII.

COMITATVS vniti PEST, PILIS, et SOLTH, de quibus singulis speciatim, quia vero vniti sunt, notandi ante omnia:

1. Processus quorum quatuor numerant.

(a) *Váczziensis*, citeriori Danubii ripa, oram comitatus Pestiensis occidentaliorem complectitur; estque montosi positus, et frequentibus obsitus siluis.

(b) *Ketskemétiensis*, infra Pestinum, aequor illud campestre, intra Danubium, Heuesiensium item, & Szolnokiensium exteriorum limites occupat; neque tam vicis frequens, quam aruis est.

(c) *Soltensis*, olim integrum conficiebat comitatum, iam processus nomine venit, diffunditurque pone Danubium, vsque ad Bacsiensium fines.

(d) *Pilisiensis*, vlteriore Danubii margine procurrit, estque montosus in occidentem, in orientem campestris simul, et in meridiem.

2. *Regimen* Comitatus Pest et Pilis vniti, olim cum reges Hungariae Budae aut Wischegradi residerent, a curia regia gubernati, nullis suberant supremis comitibus. (*t*) Quae quidem regiminis ratio, sub Turcarum dominatione cessauerat. Buda vero denuo a Turcis recuperata, regni Hun-

(t) Wlad. decr. I. 100. II. 24.

Hungariae palatino, gubernandi commissi sunt comitatus. Vtraque, et palatini regni Hungariae, et supremi comitis, in tribus vnitis comitatibus dignitas concessa erat, anno 1751. regis ac optimatum suffragio, Ludouico e comitibus de Batthyan, perpetuo in Nemeth-Ujvár. Hoc anno 1765. mortalitate intercepto, Hungaria accepit locumtenentem regium serenissimum dominum Saxoniae et Teschinensem ducem, qui etiam suptemi comitis munere, tribus his in comitatibus defungitur, eosque per administratorem regit. Praeter duas liberas regiasque vrbes, et 19. oppida, pagos 160. comitatus hic vniti complectuntur, incolas 249716. quorum in numero 1838. Iudaei deprehenduntur In aerarium bellicum quotannis mittunt 121923 fl. 30 xr. praeterea Buda, 30308 fl. 40 xr. Pestinum autem 19207 fl. 20 xr.

I. COMITATVS PESTIENSIS, Hungaris Pest-Vármegye, Germanis die Pesther Gespanschaft, ab vrbe libera regiaque Pesthiensi, nomen tulit. Et is quidem

1. Ad Váczinum init cis-Danubium, atque inde perpetua Danubii ripa, montibus, siluisque obsitus, ad 8. fere milliaria pertingit.

2. Hungaros alit quam plurimos, intermixtis nonnullis etiam Slauorum coloniis. Germani omnium paucissimi ibi reperiuntur Singuli certe, et laborum omnium, et agricolationis potissimum sunt patientissimi. Occurrunt in tribus his comitatibus vnitis, oppida 19. pagi 160.

3. Ceterum, qua septentriones respicit, regio montibus et siluis horrescit, vbi vero in meridiem vergit, atque orientem, planitiem occupat, summa lignorum inopia vexatur. Vltra vrbem Pestiensem, notissimi illi campi Rákos, ineunt; vbi sub regibus olim Hungaris, comitia armata manu celebrari solebant, inprimis, vt Olahus

mo-

monet, cum rex, vel Palatinus, eligendus erat. (u)

4. Duabus insidetur vrbibus, quarum prima est: 1. *Pestinum*: Hungaris Pest, libera, regiaque vrbs eleganti positione, in ripa Danubii, Budae obuersa residit. (x) In dies haec, et ciuibus augetur, et aedificiis. Sedes est tabulae regiae et septemuiralis perpetua, ab anno 1723. quae duo suprema Hungarorum adpellationis tribunalia sunt. Conditum hic Caroli VI. munificentia inualidorum militum domicilium est; quod in praestantissimis Europae ponendum erit. Patres piarum scholarum ludum hic habent. Habet quoque Pestum, Franciscanos, Dominicanos, Paulinos, B. Virginis Mariae seruos, a Szécsényio primate huc deductos, fratres misericordiae, ac socias D. Clarae, quae Buda huc nuper migrarunt. Agrum accepit vrbs arenosum sterilemque, peponum, rapae, et raphani minoris inprimis feracem. Reliqua de vrbe nota sunt.

2. *Watzia*, Hungaris Vátz, Vatzouia, Germanis Weitzen, Slauis Wacow, vrbs atque sedes episcopalis, annonae facilitate, forisque boariis inprimis, quae crebriora habet, incluta. Multa hic eo tempore, boum Hungaricorum millia cogi videas. Conditor episcopatus huius esse creditur, Geysa I. rex Hungariae, aliis S. Stephanus. Comitatuum illorum, in quibus cathedra

(u) Campus Rákos, a fluuiolo cancrorum olim forte ferace, qui per eum decurrit, denominationem acceperat. Rebus Hungarorum integris, ad comitia, in quibus rex legebatur, 100,000 armatorum saepe confluebant, quorum plurimi equis vehebantur.

(x) Magister Rogerius de destructione Hungariae per Tartaros facta, cap. 16. eam, magnam et ditissimam Theutonicorum villam vocat.

dra episcopalis deprehenditur, episcopi supremi perpetuique comites hucdum erant, hac tamen praerogatiua Vacienses episcopi semper destituebantur. Administrat episcopatum nunc Christophorus S. R. E. cardinalis e comitibus Migazzi, de Wal et Sonnenthurn. Est quoque hac in vrbe sacerdotum canonicorum collegium, et patrum piarum scholarum gymnasium. (y)

5. Oppidorum praecipua tria numerantur:

(a) *Egopolis*, Hungaris Ketskemet, in processu Ketskemetiensi prolixius aliquantum, coloniae maxima parte Hungaricae, quae pecora sustentat, successu longe felicissimo. Nam, hoc ipsum oppidum, e foris boariis, laudem dudum iam meruit; immo et meretur hucdum. Habent etiam hoc in oppido patres piarum scholarum, scholam, et coenobium, vt et Franciscani. Vtrosque comes Stephanus Kohari, huc deduxit. Praedia vicina patentissima multos greges pecoris cornuti alunt.

(b) *Körös*, oppidum frequens et sabulosum, pascuis non ignotum in eodem processu. Et:

(c) *Csigléd*, (Cségled) eiusdem sunt conditionis, itidem pecorum educatione nobile. Tenent illud

---

(y) Inter episcopos antiquiores, celebriores erant, Stephanus Vancsa, post cladem a Tartaris anno 1441. acceptam, ad summum pontificem, et Fridericum II. imperatorem auxiliorum expetendorum caussa missus, et Stephanus Brodericus, qui cladem Mohacsianam, cui interfuit, breuiter descripsit. Prior inter Episcopos Vngariae primus esse creditur, qui purpuratorum Romanorum numero est adlectus. Sunt praeterea, hac in vrbe, Dominici, Francisci sodalibus, PP. schol. Piar. domicilia liberalitate Regum Hungariae concessa. Maria Theresia hic quoque equestrem scholam fundauit, in qua iuuentus nobilior in omnibus studiis, quae ornamentum ei adferunt, per PP. schol. piar. liberaliter imbuitur. Cathedralem ecclesiam, qua hucdum destituebatur, anno 1771. et sequentibus, exstruxit exornauitque magnifice cardinalis S. R. E. Migazzi.

lud virgines sacrae D. Clarae, quae Budae habent domicilium. Est etiam in eodem processu, vt et sequentia.

(d) *Abony.*

(e) *Nagy - Kata.*

(f) *Soroksár.* Augentur oppida haec in dies numero incolarum et opificum.

(g) *Aszod*, Aszodinum, olim Ostmach, nuper admodum inter oppida relatum, ad Podmaniczkios pertinet, castelloque eorum insigni decoratur, processui Vacziensi adnumeratum.

(h) *János - Hidja*, Janos - Hida, vicus ad amnem Zagyvam in Ketskemetiensi processu, olim praepositura Praemonstratensium, haud incelebris. Sed inprimis notari meretur.

(i) *Gödölö*, splendidum heredium Grassalkovicsianum, in quo castellum est, ad omnem magnificentiam exstructum, hortos praeterea habet, ferarum, phasidumque viuaria amoenissima. Est in processu Vacziensi quaerendum.

(k) *Maros*, oppidum Wissegrado ex altera Danubii parte obiectum, colonia Germanorum, ad quod Strigoniensis archiepiscopus diuertere, venatuque se oblectare solebat (*l*)

II. COMITATVS SOLTENSIS, Hungaris Solt-Vármegye, Germanis die Solter Gespanschaft, ab Solt oppido, de quo inferius, sic adpellatus. (*a*)

1. Eius

(z) Nicol. Olah. in Hung Lib. I, cap. 6. §. 4. et cap. 20. §. 3. Istuanffius Lib. VIII. p. 132. Caspar Vrsinus Velius. pag. 32. 42.

(a) Auctor topographiae M. regni Hungariae (Viennae 1718. impressae) p. 80. comitatum hunc trans Danubium reiicit, et inter Pilisiensem et Tolnensem comitatus locat, Danubioque a priori separari adseuerat. De parte comitatus id erit intelligendum.

1. Eiusdem fere cum priori, Danubiani ſitus eſt; altius tamen in eodem fluminis margine deſcendit, omnis prorſus lignationis montiumque inops.
2. Habitatur ab Hungaris, quibus Slaui etiam, cum Germanis, mixti interſunt.
3. Maxima prouinciae pars inculta eſt, adeo, vt dies integros peregrinari liceat, antequam vicum aliquem, (vici alias hic pauperrimi ſunt) adtingas. Id toto hoc tractu commodiſſimum eſt, quod, prolixa haec camporum ſeries, paſcua praebeat, rei pecuariae intertenendae longe deſideratiſſima. Vnde, non mirandum, ſi incolarum quam plurimos, pecori ſaginando incumbere videas. Agrorum prouentus exiles ſunt. Nam, nec lubentes agris impendunt operas coloni; nec habent, cur paſcua optima, in agros vertant.
4. Vrbs in ea una eminet.

Colocſa, archiepiſcopi Colocſenſis, qui hodie ADAMVS Liber Baro PATACHICH, de Zaiezda eſt, ſedes. Occupauit paludoſam planitiem, eamque inſalubrem, prope Danubium, Cardinalis EMERICVS e comitibus CSAKY, GABRIEL HERMANNVS e comitibus PATACHICH et NICOLAVS e comitibus CSAKY, inprimis Emin. S. R. E. Card IOSEPHVS BATTHYAN, primas regni, multum ei celebritatis, ſede ſua et liberalitate, indiderunt. (*b*)

5. Op-

(b) Nonnulli veterum Coloſſos hic quaeritant. Alii a Coletinis, populis, qui Savum inter & Drauum habitabant, alii, a Coloſſo comite Pannoniae praefecto, cuius Caſſiodor Lib. III. meminit, denominatam eſſe volunt. Vrbs olim celeberrima fuit, templis & coenobiis inclyta, a Turcis tamen, qui crebrius eam infeſtabant, deſolata. Archiepiſcopus Colocſenſis erat quidem, ad noſtra tempora, Bachienſis, ſed non Soltenſis comitatus, ſupremus comes. Ceterum, ad vrbem hanc diues piſcatus ſolet inſtitui. Refert Nicolaus Olahus in Hungaria ſua Lib. I. c. II. §. 4. non neminem, aetate ſua, mille

5. Oppidorum memorabiliora sunt:
(a) *Solt*, copiosum, frequensque annonae ferax; quod tamen in dies deficit.
(b) *Patai*, exilius aliquanto priori est, incolas Hungaros sustentans.
(c) *Hajos*.
(d) *Vetse*, in eodem processu.

Neque praetereunda est abbatia *Monyorod*, quae a S. Ladislao fundata esse creditur. (c).

III. COMITATVS PILISIENSIS. Hungaris Pilis-Vármegye, Germanis, die Pilischer Gespanschaft, sic dictus, a Pilis arce deserta, vel a monte quodam arboribus vacuo, in collimitio Strigoniensium, vnde Abbatia de Pilisio, duobus infra Strigonium milliaribus posita, ordinis Cisterciensium: Castrum hoc primis Paullinorum sodalium originibus nobile redditum est. Est vero:

1. Integer trans Danubium positus, siluarum montiumque, qua in occidentem abit, diues. Orientalis pars, vbi littore Danubii definitur, planissima est, adeoque etiam, priori illo tractu amoenior. Init ad Vissegradum arcem, Tetényum, vsque ad 6. milliaria protensus. Ab ortu, habet Danubium; ab occasu comitatum Albensem; a septentrione, Strigoniensem; a meridie, Tolnensem, comitatus.
2. Et Hungaros alit, et Slauos, intermixtis alibi locorum Germanorum quoque coloniis.

Foe-

circiter pisces lupos, siue lucios, mistos carpionibus, quorum longitudo mediam vlnam, breuitas vero vnam palmam non excessisset, vno aureo nummo hic emisse. De eo etiam disputatur, quando Colocensis, metropolis cum Bacsiensi est coniuncta. P. Szegedi in decretis et vitis regum Hungariae, qui Transyluaniam possidere, p. 210. Geysa II. regnante, et circa annum 1151. id euenisse non plane nulli existimant.

(c) Ladislaus Turocz. in Hungaria cum suis regibus pag. 192.

3. Foecunditas, pro soli varietate, diuersa est, Vbi enim montibus horret, aspera ibi sunt omnia, vbi autem camporum series conspicitur, summa frugum omnium est fertilitas. Pecora, magno etiam numero, alunt. Fluuiorum, qui comitatum rigant, multi sunt; in his tamen Danubius princeps.

4. Princeps in eo vrbs est:

(a) *Buda*, Germanis Ofen, Slauis Budjn, (d) quod aliqui a Buda, fratre Attilae, alii, a Budinis, Scythiae populis, alii a Slauica vocula Woda, eo, quod aquis potissimum calidis abundat, deriuare non dubitant. Adspicit ea Danubium, qua in orientem adposita est. Situm collinum accepit, egregiis instructa propugnaculis; vt merito antea iam primum, et in vrbibus, et in munimentis Hungariae, locum obtinuerit. (e) Posteaquam vero crebriores, saec. XVI. et XVII. oppugnationes sustinuisset, diruta propemodum, relicta fuit. Octo earum commemorantur; eaeque grauissimae. Vid. Thurocz in Hungaria sua pag. 161. Fuit in potestate barbari 145 annos (f) Facile profecto, tanto hostium impetu euastari potuit, vrbs celeberrima. Attamen hodie quoque non munita solum, sed compta etiam,

 resur-

(d) Werneher. de admirand. Hung. aquis ex Germanico Bad, Badam, seu Budam, deriuari posse credit. In antiquis priuilegiis, nouus mons Pestiensis, et Castrum Pestiense, vocatur.

(e) Positum eius describit Olahus Lib. I. Hungariae cap. V. §. 2. et Caspar Vrsinus Velius, de bello Pannoniae pag. 15.

(f) Anno 1526 Solimannus, nemine resistente, eandem ingressus est, et diripuit Anno 1541. fraudibus eadem potitus, Isabellam reginam, cum filio Ioanne Sigismundo, in Transsiluaniam expediuit, validumque in ea praesidium reliquit. Anno 1686. virtute et prudentia Caroli ducis Lotharingiae, et sociorum eius, Turca inde est eiectus.

resurgit. Meridiem versus, Rascianorum vrbem, vt eam vulgus adpellat, adnexam habet, pro gentis indole, sic satis cultam. Qua vero septentrionem vergit, altera vrbis pars, nova civitas dicta, resedit Tertium suburbium est ad Danubium (Wasserstadt. Porro, et arce excellit, accessus ardui, quae pristinis etiam Turcarum insultibus, ad ruinam fere infestata, nunc ob summam loci amoenitatem, MARIAE THERESIAE augustae, reginaeque magnificentia regia, reparata est. (g)

Aedes sacrae sequentes commemorari merentur: Basilica B. Mariae Virg. quam Matthias Coruinus, seu fundauit, seu magnifice instaurauit; ad eam est collegium academicum; in quo Jesuitae docebant; alterum templum ordo habet Carmelitanus; tertium Francisci Seraphici sodales; quartum D. Clarae sorores, quae anno 1714. huc sunt reductae. In aquatica ciuitate Franciscani prouinciae Bosniae, et Capuciui, claustra et templa habent. In noua, vt vocatur, ciuitate, Augustiniani monachi; coenobium sunt consecuti. (h) Sunt quoque alia adhuc ibi publica aedificia, et anno 1777. augusta regina vniversitati, quae Tyrnauiae hucdum fuerat, locum in arce assignauit. (i) Thermae quoque Budenses sunt celebres, de quibus infra.

3. Ar-

(g) Incolebant partem eius Anglicanae herulae augustae reginae liberalitate illuc deductae, sed 1777. Wacziam translatae. Anno 1771. dextera S. Stephani Ragusana ex vrbe reducta, in templo, quod in arce hac est, deponebatur, qua de re legas P. Pray in differtat. de sacra dextera diui Stephani. p. 95. seq.

(h) Templa & monasteria, quae prisca aetate Budae floruere eleganter exponuntur, in P. Xysti Schier, Buda sacra, sub priscis regibus (Viennae 1775.)

(i) Debet vrbs haec natales & incrementa inprimis, Belae IV. regi: Primus vero regum Hungariae, sedem firmam, stabi-

5. Arces nobilissimae regionem olim occuparunt. Praecipuae in his. fuere.

(a) *Wischegrad*, arx alta, et castrum altum, (k) in diplomatibus dicitur, Illyrica hac eius denominatione, idem significante. Germani eam vocant Plintenburg, et Plentenburg. Nobilissima olim et munitione extitit, et coronae reliquorumque regni Hungariae insignium conditorio. Ad montis excelsi, cui arx imposita fuerat, exitum, vrbs resedit, pro regum diuerticulo, splendidis aedificiis ad admirationem exornata. (l) Nunc, et vrbs, et arx, in rudus informe abierunt.

(b) *Sámbék*, (Sambok) tribus in occidentem millia ribus, Buda recedens, arx munita antea; inculta hodie est.

---

bilemque in ea posuisse dicitur, Ludouicus I. Jam Sigismundus rex anno 1389. hic vniuersitatem fundauerat, quam Bonifacius IX probauerat. Matthias Coruinus etiam, in eadem exornanda, elaborasse dicitur. Aliqui hic quaerunt veterum Acincum, quod & Aquincum, trans Acincum vero, in opposita ripa Danubii ad Pestum.

(k) Altus lapis etiam (Magoskő) Galeato, Vicegrad.

(l) Legas Matth. Belium in notitia Hungar. nouae Tom. III. p. 470. ex antiquioribus vero Casp. Vrsin. Velium de bello Pannonico p. 13 & inprimis Nicol. Olahi Hungariam (ex edit. anni 1763.) Vrbs haec sedem praebebat regibus Carolo I. & Ludouico I. Palatiis, quae hic erant, nihil erat magnificentius, nihil amoenius. Legatus summi Pontificis, qui apud Matthiam Coruinum morabatur, eam, paradisum terrestrem vocabat. Fuerat quoque pauonum & ferarum variarum altrix. Nicol. Olah. in Hung. Lib. I. cap. 6. §. 2. Multis praeterea templis & monasteriis fuerat clara, quae auctor topographiae M. regni Hungariae (Viennae 1750. recusae) p. 181. enumerat. Priuilegia, quae a Matthia Coruino acceperat, sub Wladislao II. eius successore abrogabantur. Wladisl, decr. I. art. 102. III. art. 15. Recuperarunt Vissegradum Christiani anno 1684. die 18. Junii. Obiit hic Carolus paruus rex Apuliae, seu Neapolitanus.

6. Oppida, exiliora pleraque sunt, quam vt ea hic inferamus. Merentur tamen memoriam:

(a) *Buda Vetus*, tercentum fere passibus, supra nouam secedit. Veterum fuisse Sicambriam, peruulgata inter quosdam opinio est. (*m*)

(b) *S. Andreae*, Fanum Andreae, satis copiosum, margini Danubii inhaeret. Duabus Buda horis distat, insulae cognomini obuersum. Incolitur a multis Rascianis, qui hic episcopum Graeci ritus habent.

(c) *Zambek*, (Zsambek) oppidum mediocre. Neque adhuc praetereundum Tököly, Tökölyinum vicus, ad quam gens Tökölyiorum natales referre dicebatur.

7. Insulas praeterea tres, cum duobus oppidis, numerat, his nominibus insignitas.

(a) *Insula S. Andreae*, Waczouiae obuersa, donata alioquin fertili solo est. Pagis certe frequentibus, qui tamen tenuiores sunt, colitur. Insula haec Ros vel Kós, (*n*) alias dicta, longa est tria milliaria, lata, nunc quartam, nunc maiorem minoremque milliaris partem. Pertinebat iam prisca aetate, ad regni coronam, suis cum vicis.

(b) *Csepel*, (Chepel, Schepel) etiam Raczkeve, a principe illius loco eadem, qua prior, soli fertilitate, vitiumque copia gaudet. Longius haec, infra Pestinum descendit, venationibus maxime commoda. (*o*) Reges Hungariae cum Bu-

---

(*m*) Meminit eius Lud. II. decr. II. Bachiens. art. 14. Ad oppidum hoc prostantes thermas adtigit Olahus in Hungar. sua Libro I cap. 5. §. 6. Buda haec saec. XV. et XVI. mercatu florebat Italis, Germanis, Polonis, et Turcis eo confluentibus Olah. l. citat. § 7

(*n*) Ludouici II decret. anni 1518. §. 1.

(*o*) Olahus Lib. I cap. 4. §. 3. scribit, sua aetate, eam fuisse 9. milliaria longam; latam duo, aut tria. Aliqui ad eam Pesthen-

Budae sedem haberent, hac loci amoenitate, tamquam voluptario quodam secessu, vtebantur, Serenissimo principi Eugenio duci Sabaudiae, ab imperatore Carolo VI. donata fuerat, propterea ab aliquibus Eugeniana vocatur. Post eius obitum, Elisabetha augusta, quoad vixerat, eam possedit. Nunc, excelsae camerae Hungaricae, subest. Praecipuum in ea locum *Råczkeve*, reperio, oppidum, quod praestantissima a priscis Hungariae Regibus, accepta priuilegia ostentat, quorum vsus penitus hucdum intercidit. Olim, insula haec, iure donationis propter nuptias, ad reginas Hungariae pertinebat. Abundasse eam siluis, nemoribus, vineis, pascuis, frumento, auibus, phasianis, perdicibus, turdis, gallinis siluestribus, aliisque auibus; damis, apris, leporibus, et aliis ad vsum hominum necessariis rebus, in vulgus notum est. Legas Olahum in Hungaria Lib. I. c. 4.

(c) *Leporum*, nouae, veterique Budae intersita; propterea Budensis etiam vocabatur. Theritropheum olim, viridariumque regium, regum Hungariae fuit, magnificis aedificiis instructa, quae tamen, maxima sui parte, diruta videas Dicitur alio nomine S. Margarethae insula; eo, quod S. Margaretha Bela IV. filia, in monialium Dominicanarum claustro ibidem vitam transegerit. Aliqui eam etiam vocant insulam beatae Virginis, a basilica, quam in ea habebat, magnifica. Visuntur hodie adhuc grandis operis parietina. Ur-Szigeth quoque, seu dominorum insula nominabatur. *(p)*

stiensem comitatum referunt. Vid. Kaprinay. in hist. diplom. P. II. p. 477. Describit eandem eleganter Olahus. I. cit.

(p) Habebat, retrusis saeculis, quinque monasteria, quorum vnum ad Dominicanos, alterum ad sanctimoniales eiusdem ordinis

8. Supereſt *Promontorium Eugenianum.* Montoſa regio eſt, infra Budam, laxo ſpatio diffuſa, Eugeniani dominii, qui caſtellum ibidem, ſane magnificentiſſimum, exſtruxit, caput. Fuit amoeniſſimus receſſus, principis Eugenii, ea in ora qua Danubius diuaricatus, inſulam Cſepel format. Vicina Budae fuerat, et ad comitatum, Piliſienſem olim referebatur, *abbatia Telki*, quam abbas Scotenſis Viennae ſedem habens, tenet. Ad pagum Erchy, viſuntur rudera arcis Kutyavár, in qua regii canes olim adſeruabantur. (q) Vicinus quoque eſt Budae vicus *Turbal*, in quo caſtellum magnae molis et magnificum fuerat; ante captam a Turcis Budam, Török Bálint, propterea dictum, quod ad Valentinum Török pertinebat.

9. Hic celebres illas thermas Budenſes reperias, quae, propter ipſam Danubi ripam, crebriores ſunt. (r)

§. XIII.

COMITATVS BACSIENSIS; primum Baachienſis, mox Baczienſis, deinde Bacſienſis, vt et Batlienſis, Hungaris Bács-Vármegye, Germanis die

---

nis. tertium ad Seraphici patris minorum ordinem pertinebat quartum Ciſtercienſem, vltimum Praemoſtratenſium erat D. Michaëli Archangelo ſacrum, hicque ſuum habebant praepoſitum.

(q) De vtraque auctor topographiae M. regni Hungariae, (ex edit. anni 1718.) p. 51.

(r) Saluberrimae eae ſunt; adeo tamen plerumque ferventes, teſte Wernehero, (qui in commentario de admirandis Hungariae aquis, thermas hasce prolixius deſcribit) vt ouum aeque cito, atque ad ignis aeſtum, excoquant. Laurentius Stokerus, in peculiari, de thermis Budenſibus, tractatu id monuit. Superiores aliae, dicuntur, aliae inferiores. Illae, quod ſupra, hae, quod infra vrbem ſint; nomen accepere. Thermae hae aegris corporibus, inprimis puſtulis, & tabe infectis, maxime ſunt ſa-

die Batscher Gespanschaft, nomen ab oppido Bács sortitus,

1. Et hic quidem, infra Soltensem prouinciam, perpetuo Danubii margine, usque ad Danubii, atque Tibisci confluentem, decurrit. Sub Turcarum certe imperio, vastata nimiopere haec regio est. Longitudo omnis prouinciae, 8. latitudo plura milliaria efficit. Habet a septentrione, Soltensem comitatum; ab ortu, praeter Cumaniam minorem, banatum, a quo Tibisco separatur; a meridie, Bodrogiensem prouinciam; ab occasu, Danubius eam a Slauonia dirimit.

2. Coloni Hungari sunt, parte maxima, Illyriis, qui mercatura quaestum facere consueuerunt, intermixti. Sunt in Bacsiensi ac Bodrogiensi comitatibus oppida octo, pagi 81.

3. Fertilissima regio est, cultissima, frumenti inprimis et leguminum feracissima, quae tamen bellorum iniquitate ita devastata fuit: vt crebriora, hinc illincue, rudera oppidorum castellorumque occurrant. Palustri planitie decurrunt omnia, quae a fluuiolis e Tibisco egressis, facessitur. Siluarum paucas hoc tractu reperias. (s)

4. Oppida memorabiliora, hac ora, ista fere sunt:

(a) *Bács*, vrbs elegans, antehac populosa, immo et aedificiis nobilis, pari infortunio, Turcarum bellis, quod saepius querimur, euastata (*t*) Nunc op-

H 5

salubres. In aliis thermis pisces deprehenduntur, qui, si in aquam frigidam transferantur, statim emoriuntur. Vicini his olim erant regii & priuatorum horti amoenissimi.

(s) Saeculo XVI. vtebantur vino Sirmico. Equi hic nascebantur multi, velocitate & magnitudine praestantes, sed, quia grandia habebant capita, aetate Olahi, fuerant in contemtu. Olah. in Hung. Lib. I. cap. 11. §. 5.

(t) Aetate Caroli I. regia fuerat et libera. decr. Caroli I. § 33.

oppidi nomen ſuſtinet, quod pleroſque Illyrios alit, Colocſenſis archiepiſcopi dominio ſubiectos. Colocſenſis, et Bacſienſis archiepiſcopatus a ſaeculo XII. ſunt canonice vniti. (u) Inter archiepiſcopos Colocſenſes et Bacſienſes, notari in primis meretur, Paulus Tomoraeus, qui exercitus Hungarici, clade funeſta, apud Mohács anno 1526. adfecti, ſummum ducem exercitus egit.

(b) *Baja*, et frequens oppidum eſt, et amplum, mercimoniis potiſſimum nobilitatum.

(c) *Pandur*, Pandurum, vicus Serbiorum, a quo pedites Serbiorum, bello nupero acceperunt denominationem. (x)

(d) *Bachmonoſtra*, Batsmonoſtra oppidum, quod olim celebrem habebat praepoſituram, S. Paulli apoſtoli, cuius adhuc rudera viſuntur.

(e) *Szabadka*, ſeu Szent Maria, ſancta Maria, oppidum ad Tibiſcum copioſum, idque militare. Inhabitatur a Serbiis. Anno 1779. d. 22. Januar. inter liberas regiasque vrbes Auguſtae Reginae liberalitate relata, et Mariae Thereſiapolis nomine donata eſt. Huc adhuc aliqui referunt abbatiam *Beatae Mariae Virginis de Ivany*, alii eam ad Tolnenſem comitatum trahunt.

5. Supremus comitatus comes eſt C. ANDREAS HADIK., praeſes conſilii bellici, anno 1776. renunciatus Ante eundem archiepiſcopi Colocſenſes honore hoc fungebantur a multis ſaeculis.

§. XIV.

(u) Annus, quo id factum eſt, non facile oſtendetur. Bachienſes iam anno 1085. habebant archiepiſcopum Colocſenſem Pray in diſſert. de S. Ladislao rege pag. 78. ſeqq. et in ſpecimine hierarch. Hungar. P. II.

(x) Incolebant montes et ſiluas, habebantque praefectum Harumbaſcha vocatum. Anno 1741. et ſequentibus ſub duce Trenkio inclaruerunt anno 1750. ad leges bellicas exactius ſe conformare coeperunt, multumque virtute bellica pollent.

§. XIV.

COMITATVS BODROGIENSIS, Hungaris Bodrogh-Vármegye, Germanis die Bodroger Gespanschaft, ab urbecula Bodrogh, Budrugh, pone Danubium, sic adpellatus. Separatus est comitatus hic a Bacsiensi, cui fuerat vnitus, an 1747. licet necdum decidi potuerit. quae loca ad Bodrogiensem, quae ad Bacsiensem comitatum sint referenda. Veteres eum Budrugiensem vocant, a castello, seu oppido cognomine. Librariorum incuria, quibusdam in exemplis tripartiti regni Hungariae, quod Stephanus Vörböcz conscripsit, intermissus est. Deprehenduntur in Bacsiensi et Bodrogiensi comitatu 164,690 animae, inter quas Iudaicae sunt 408. In aerarium bellicum soluunt incolae quotannis 82060 fl. Huic

1. Situs inter Danubium et Tibiscum contigit, in vltimo regni angulo. Adeo plenus paludum est, vt vix milliare dimidium, quin similes fiant obviae, possis procedere. A septentrione, Bacsiensi comitatu coërcetur; ab ortu, banatu Temesiensi; a meridie et occasu, Slauonia. Ob lacunas multas, duo potissimum hic se obiiciunt impedimenta. Alterum est, quod incolae lignis careant, ignemque arido fimo et arundinibus alere cogantur; alterum, quod exercitus, hanc per prouinciam, summa cum difficultate proficisci possit. Piscium magna hic est vis, caussamque inde nonnulli arcessere volunt, quod, et Tibiscus. et paludes, aquas habeant, salibus, praeter morem, abundantes. Loca eius plurima tamquam bello parta olim, sub imperio senatus bellici erant. Iam regno Hungariae sunt redunita. (y)

2. Il-

(y) De solo eius disputat Samuel Timon in imagine Hungariae nouae cap 7. p. 54. vultque ostendere, jus sacrorum in hoc comitatu, ex parte ad Strigoniensem et Colocsensem, ex parte vero ad Sirmiensem episcopum pertinuisse.

2. Illyrii inhabitant regionem, quos Germano idiomate Razen, Rascianos dicimus, interiectis, et alicubi tenuioribus Hungarorum coloniis.
3. *Romani aggeres*, totam fere prouinciam hanc perennant, quos celeberrimus Marsiglius Tom I. operis sui Danubialis, quantum potuit, adcurate delineauit. Alioquin piscium diues est regio, fluuiorum tamen inundationibus nimium obnoxia, quae paludum etiam causa sunt.
4. Vrbes notandae sunt sequentes:
(a) *Neo-Planta*, Neusatz, aggere incincta, et Petro-Varadino, quod in Slauonia est, obiecta. Anno 1751. axioma liberae regiaeque vrbis est consecuta, et episcopo Graeci ritus hospitium praebet.
(b *Zombor*, Zomborum, etiam eodem anno, iura, libertatesque liberarum et regiarum ciuitatum est consecutum. Praebet quoque sedem administrationi camerali.
5. Arcis loco praepositura Tituliensis, aliis Titeliensis adpellata, merito nominanda venit, munita haec fuit eximie Nam, et positum, monte arduo commodum satis munitionibus accepit, et naturalem etiam, ampla planitie, fortitudinem. Nunc, integra fere destructa, conspicitur. Deprehenditur tamen hic officina, in qua naues multae pro nauigatione, secundo et aduerso Danubio instituenda, parantur. Milites quoque naualibus proeliis adsueti, Schaikistas nostri vocant, plurimi hic degunt. (z)
6. *Oppida* duo admodum merentur mentionem. Quorum haec sunt nomina:

(a)

(z) Anonym. Belae regis notar. c. 41. Titul. cap. vero 38 Tetel vocar. Nicol. Olah. scribit Lib. I. cap. 2. §. 4. hanc praepositurajn olim 4. millionum ducatorum, reditibus diuitem fuisse. Vicinae ei erant arces Kysdy, Cabol, & aliae plurimae.

(a) Est iuris comitis Andreae Hadik. M. Joannes Turocz, in Chronic. P. IV. cap. 58. in Bacsiensem comitatum illud refert.

(a) *Futak*, vbi anno 1716. et 1717. Caesaris copiae, ad compescendas Turcarum anomalias conuenerant. (*a*)
(b) *Zentha*, insigni Turcarum clade, anno 1697. die 11. Septembr. a principe Eugenio accepta, qui triginta hic, suorum millia amiserunt, inclutum. (*b*)
(c) *Palanka*, Palank, vicus, fossa et aggere olim Turcarum industria incinctus, et christianis obiectus.
(d) *Betse* et *Martonós* oppida, duo milliaria, ad Tibiscum, quae coloniam habent Seruiorum. In hoc quoque comitatu quaerunt aliqui praepositurам Kapasfö, abbatiam Cistercienfium de Abraham, et aliam S. Irenaeo dicatam, quae Benedictinorum fuisse creditur. (*c*) Supremus comes Bödrogiensis, est idem, qui Zoliensis, comes ANTONIVS GRASSALKOVICH de Gyarak.

§. XV.

CVMANIA MINOR, Kis-Kunság Hungaris, in prima editione libelli huius omissa. Accepit denominationem a Cumanis, qui Bela IV. regnante, suis ex sedibus retrusi, in agris Hungaricis se deposuerant. Non est confundenda, cum maiore Cumania, quae in Hungaria Trans- Tibiscana occurret. Vtraque autem iurisdictioni comitis palatini et nunc locumtenentis regii subest. (*d*) Hic

1. Situs spectandus. Habet ea a septentrione Pestiensem, ab oriente, Csongradiensem; a meridie, Bar-

et vocat oppidum campestrale pingui in tellure, longe itaque plateatim locatum.

(b) Ladisl. Turocz. p. 181. & auctor topographiae magni regni Hungariae, Zentham, seu Szentham, ad Bacsiensem comitatum trahunt.

(c) Turocz in Hungaria p. 182.

(d) Est decreto palatinali anno 1485. art. II. stabilita.

Bacſienſem; ab occaſu vero Soltenſem comitatus. Magnitudine Soltenſem fere prouinciam adaequat.

2. Colitur ab Hungaris, qui poſteri ſunt Cumanorum, habituque et inſtitutis olim multum ab illis differebant. Fertilis alias ora eſt, frumento abundans, paſcuis, et praeſtantibus peponibus, inopia tamen lignorum et aquae laborat. Alunt Cumani pecora, et equorum greges, pro quibus aquandis, puteos paſſim effodiunt, aquae, niſi frequenter hauriantur, putreſcunt, et vermibus ſcatent. Ad ignem excitandum, et alendum, arundinibus, fimo ſtramini illito, et ad ſolem durato, modicisque lignis procul aduectis, vtuntur.

4. Vrbes liberas et regias, habet nullas, oppida vero nobiliora tria:

(a) *Szent-Miklos*, Kun-Szent-Miklos; eſt in loco plano, campeſtri, atque fertili ſatis, poſitum

(b) *Szabad-Szállás*, latine, libera manſio, etiam in loco plano, iis gaudet naturae bonis, quibus prius oppidum.

(c) *Phülöp-Szállás*, Filep-Szálás, Philippi manſio, etiam agrum habet fertilem, eſt reiectum in occidentem, Soltenſibusque obiectum Neque ſubticendi ſunt vici Halas et Szent-Kalás (e)

Tantum de Hungaria Cis-Danubiana.

(e) Olah. in Hung. Lib. I. c. 2. §. 5.

MEMBRVM II.

DE HVNGARIA TRANS-DANVBIANA.

I. Haec illa veterum Pannonia est, nec ea tamen integra. Prout enim in superiorem inferioremque dispescebatur; ita, illi quidem, ea pars, quae a Raba flumine, ad montem vsque Cetium Viennae imminentem protenditur, huic omne id, quod vltra Rabam, ad Savum vsque, colebatur, adtribuebatur.

II. Vndecim ora haec comitatus tenet, maxima sui parte, et situs amoenitate, et fertilitate exoptatissima, adeo praestantes; vt citerioris Hungariae prouinciis, haud dixerim secundos. Nos, pro suo quemque positu, percensebimus.

§. I.

COMITATVS MOSONIENSIS Hungaris Moson-Vármegye; Germanis die Wieselburger Gespanschaft, a celebri olim vrbe Mosony, Musun, quae, Germanis, Viselburgi nomine venit, nomen sortitus. (*a*)

1. Ad situm huius, quod adtinet, Hungariae is Austriaeque limitibus accessit trium quatuorque milliarium latitudine, ad sex vsque lapides decurrens. Planities hic visitur, perpetua, eaque, et Sopronienſi comitatui, et lacui Nezidero, ab occidente; ab oriente vero, Danubio con-

(a) In certo Sigismundi regis instrumento, anno 1426. confecto districtus Miczonensis vocatur apud Gelas, Dobner in monument. Bohem. T. II. p. 408, sq.

contigua. Qua autem in meridiem abit, comitatum Sopronienſem et Iaurinenſem adtingit, ad ſeptentrionem vicina ei eſt Auſtria inferior.

2. Coloni Germani ſunt, veterum, ſeu Boiorum, quorum hic fuere deſerta, ſeu prorſus Gothorum reliquiae. Certe loquendi modo, a reliqua Germanorum gente diſcernuntur nimium. Alioquin ſtrenuorum agricolarum laudem eximiam, merentur vniuerſim omnes. In quibus, et Biſſenos, a priſcis temporibus, (b) et Croatas paſſim, Solimanni temporibus, hic quaerentes perfugia, reperias. Reperiuntur in comitatu hoc pagi 39. oppida 11. Animae 49575. quarum 1073 Iudaico ritu Deum colunt. Aerarium bellicum 111591 fl. quouis anno ex hoc comitatu accipit.

3. Si a foecunditate ſoli, prouinciae fertilitatem metiri voluerimus, conſummatam merito dixerim. Nam, et frumenti, et tritici, et auenae, et foeni, tantam ſaepius copiam producit; quanta, et immenſa eſt, et optima, adeo quidem, vt perpetua cum Viennenſibus frumenti communicatione, promptuarium quaſi eorum dici meruerit, abundat quoque paſcuis et foeno. Vitis, quam ferunt coloni, fructum non adeo inſignem exhibebat. (c)

4. Diſpeſcitur in proceſſus duos, Leitha amne diſcretos. Sunt autem

(a) *Cis-Leithanus.* Continet is omnem eam regionem, quae inter Leitham et Danubium interiacet:

(b) Eorum iam meminit, Anonym. Belae R. Notar. c. 17.

(c) Notandum adhuc eſt, comitatum hunc, ſummo fere ſemper fuiſſe in pretio. Priſca certe aetate, reges eum rexiſſe, vel honores ſupremi comitis, praecipui alicui ex baronibus regni contuliſſe, diplomatibus probatur. Diplomatibus quoque compluribus doceri poteſt, Poſonienſis & Moſonienſis prouinciae ordines, interdum Poſonii conuentus prouinciales habuiſſe. Ottocarus Bohemiae rex magnam eidem, vti et Poſonienſi ſaec. XIII. intulit vaſtitatem.

iacet: quin & transmittit, vicosque illic aliquot, intra fines recipit.

(b) Trans-Leithanus, tractum, qui inter Leitham et Peisonis lacum, intercurrit, occupat, a Sempronienſium limitibus, uſque ad fines Iaurinenſium diffuſus. Plano uterque terrenò eſt, & niſi, qua Peiſoni accedit propius, in colles ſurgit.

5. Vrbes liberas et regias habet nullas. Oppida vero ſequentia.

(a) *Ouarinum*, Hungaris, Ovár, Germanis, Ungariſch-Altenburg, Slauis, Stare Hrady, Turcarum bello in primis anno 1529. et 1683. fortiſſimis munitionibus inſtructum parte orientali, regia arce vetuſta inſignis erat; quae tamen integra propemodum in granarium abiit. Leitha fluuius, qui hic Danubio iungitur, oppidum circumfluit, propinquus adeo, vt opportuniſſimus inſtruendo propugnaculo foret. (*d*) Habitatores foris potiſſimum boariis, quaeſtum faciunt; quae et frequentiſſima ſolent eſſe Adduxit PP. Capuc. Ouarinum Georgius Széchinius archiepiſcopus Strigonienſis. Habent praeterea ibidem patres ſcholarum piarum monaſterium, hicque pubem ſcholaſticam quatuor claſſium inferiorum docent diligenter. Dynaſtia Ouarienſis ab oppido hoc denominata, per-

(d) Fuit Ouarinum iam aetate Salomonis regis, non incelebre, conceſſeratque regi huic hoſpitium. Privilegiis priſcorum temporum celebre redditum fuiſſe, inde aliqui concludunt, quod in ſigillo eius ſequentia proſtiterint; S. OVARIENSIS REIPVBLICAE. Notandum tamen eſt, olim plurimas vrbes, oppida etiam quaedam priuilegiata, reſpublicas eſſe vocatas. Contulit Ludouicus rex II. dynaſtiam Ovárienſem ampliſſimam anno 1521. Annae, ſorori ſuae, cum Ferdinando archiduci nuberet. Deſcripſit arcem et oppidum Ovár, Ióh. Martin Stella in deſcriptione et munitione Altenburgi, Hungariae vrbis dotalis sereniſſimae Hungariae reginae Mariae, apud Schwandtner in ſcript. Hung. Tom. I. pag. 863.

ex maiori comitatus parte constans, pertinet ad serenissimam Mariam Christinam Archiducem.

(b) *Nezider.*, Nizider, Germanis Neusiedel, vrbecula satis culta, pone lacum cognominem insedit. Vino potissimum proficit, agrorumque frugibus. Lacum oppido vicinum olim longe ampliorem fuisse non pauci memoriae prodiderunt. Adsident vero lacui complura oppida et vici; qui, partim ad hunc, partim ad Soproniensem pertinent comitatum. Praebet hospitium aliquot sociis D. Paulli eremitae.

(c) *Mosonium*, Hungaris Mosony, in antiquis diplomatibus, Musun, Germanis Wieselburg, celebris antehac vrbecula, nunc oppidum est, inclutum hodieque. Coloni frugibus maximum quaestum faciunt. (*e*)

(d) *Galosinum*, Hungaris Ga'os, Germanis Golß, frequens oppidum in mediam fere prouinciam subductum.

(e) *Hemipyrgum*, Fél-Torony. Germanis, Halbthurn, amoenissimus ille augustissimi Caroli VI. Caesaris secessus, qui splendidum ei palatium inaedificauit. (*f*) Habet et equariam insignem, cum campis silvisque venatione commodissimis.

(f) *Köpcsinum*, Hungaris Köptsény, Germanis Kitsee, (*g*) obiacet Posonio, ingens oppidum, castel-

(e) Quaerunt hic nonnulli vetus Romanorum municipium, Musterum, siue Musemburgum, alias Limusa dictum. Aliqui putant ad lacum Peisonis id reiectum fuisse. Ottocarus ferox ille rex Bohemiae, Mosonio, prisca aetate celebri, communitoque, vri toti prouinciolae, anno 1271. magnam intulerat vastitatem, quo ex tempore, decus pristinum necdum potuit recuperare.

(f) Dies erat infausta, 12. octobris anni 1740 qua imperator hic, dum venatione se oblectaret, in morbum letalem repente inciderat, quo etiam, post 8. dies, Viennae exstinctus est.

(g) In instrumentis Sigismundi imperatoris Keucz castrum & oppidum vocatur, apud Dobner. in monument. hist. Boh. T. II, pag.

ſtello, quod princeps Eſzterházi non ita pridem inſtaurauerat, hortoque phaſianorum nuper admodum condito, inſigne. Deprehendes hoc in oppido, grandia duorum caſtellorum aut arcium rudera.

(g) *Oroſzvarinum*, Hungaris, Oroſzvár, Germanis, Karlburg, propius a littore abeſt Danubii, duobus Poſonio milliaribus reductum. In herediis comitum Zichi, cenſetur. Vnde ii, et de Oroſzvar dici conſueuerunt. Eleganti commodaeque habitationis caſtello, heri bonitate, ſuperbit. Exiſtimant nonnulli veterum Gerulata hic fuiſſe.

(h) *Rájka*, Germanis Rakendorf, inter multos nobiles diſtracta poſſeſſio. in orientem vergit aeſtivum, Danubioque vicinum eſt.

(i) *Szent Miklos*, Germanis, St. Nikolaus, vicus quidem eſt, Iaurino duobus milliaribus reiectus. ſed, nec amoenitate, nec frequentia vlli comitatus oppido ſecundus. Editiorem locum caſtellum occupat, comitis Caroli Zichi, et demum Franciſci Zichi epiſcopi Iaurinenſis ſumtibus eleganter exſtructum. Nec praetereundum eſt

(k) *Lebeny*, ſeu Lyben oppidum celebre ob abbatiam S. Jacobi, quae anno 1209. familiae S. Benedicti dicitur eſſe collata. Conditores eius dicuntur fuiſſe Chepanus et Poth Hedervarii fratres, effecerant id ſui iuris Ieſuitae, a quibus, ad fiſcum regium rediit.

(l) *Czundorf*, oppidum.

(m) *Laita-Falu*, a fluuio praeterfluente ita denominatum, Germanis, Potzneuſiedel, Croatas potiſſimum habet incolas.

6. Reges antehac ipſi, aut familiares eorum, vt ſupra iam notatum eſt, ſupremi comites Moſonien-

I 2 ſes

pag. 208. Caſtellani Köpcſinenſes ciuitati Poſonienſi multum moleſti fuere, propter pontem, quem in ramo Danubii Köpcſinum verſus defluente, ciuitas, ex regum mandato, poſuerat.

ses dicebantur. Nunc munus illustre comes FRANCISCVS ESZTERHAZY per regnum Hungariae aulae cancellarius, summa cum laude gerit. Conuentus publici, vt plurimum Ovarini habentur.

§ II.

COMITATVS SOPRONIENSIS, Hungaris, Soprony-Vármegye, Germanis, die Oedenburger Gespanschaft, a libera regiaque ciuitate Sopronienfi, nomen indeptus. Antiquis in monumentis Supronienlis vocatur.

1. Ab ortu brumali, init ad Mosoniensium fines inter Austriae limites, ripamque Peisonis, extensus. His ille finibus, septentrionali parte, ad occidentem usque procurrit; vbi demum, in meridie, ad comitatum Castriferrei accedit propius. Quo itinere emenso, in insulam Rabaköz, Germanis, Rabau, usque ad Iaurinenses deflectit, lacum Peisonem, forma semicirculari, contingens. Longitudinem, quam tantis his flexibus emetitur regio, 12. milliarium circiter; latitudinem, duorum, trium, alibi et quatuor, efficere milliaria, accepimus. Vastam hic planitiem conspicias, hinc solum atque illinc, collibus eminentibus interstinctam.

2. Colitur comitatus pars altera, atque superior, a Germanis; ab Hungaris inferior, atque Rabaköz, qui, et vino, et frumento maxime impendunt operas. Habet pagos 207. oppida 25. homines prouinciolam incolentes 136450. ibi deprehenduntur, inter quos, 1595. Iudaico ritu Deum colunt. In ærarium bellicum soluit quotannis 208372. fl. 5 xr. Sopronienfis adhæc vrbs 25142 fl, 25 xr. Rust 3444 fl. 10 xr. Kis-Márton 3788 fl. 35 xr.

3. Ceterum, tanta soli foecunditate gaudet, vt nec frumenti, nec vini nobilioris copiam maiorem uspiam desideraveris. Lacus Peiso provinciae

ac

accedit, quem Hungari Fertö', Germanis Neusiedlersee, adpellant. Interſita quidem aliqua eius pars et Moſonienſium agro eſt; maxima tamen, quod ſcimus, Sempronienſi huic inhaeret.

4. In proceſſus et dominia communiſſime diſpeſcitur regio.

Proceſſus numerat quinque, ſecundum alios quatuor:

(a) *Superiorem*, qui extra Rábam, regione profertur ſuperiore.
(b) Superiorem, infra *Sopronium.*
(c) Proceſſum *inferiorem*, extra *Rabam.*
(d) Proceſſum *ſuperiorem; inſulanum.*
(e) Proceſſum *inferiorem*, intra *Rabam.* Duo poſteriores minores ſunt, tres priores longe ampliores.

Dominia duplicis ſunt nominis:

(a) Principis Eſzterházy. In his numerantur.
1. *Dominium Kis Martonenſe ſeu Eiſenſtadienſe.*
2. *Sarukö, ſeu Hornſteinienſe.*
3. *Frakno, ſeu Forchenſteinienſe.*
4. *Lánſer, ſeu Landſeenſe.*
5. *Kóboldenſe.*
6. *Leukenſe.*
7. *Kapuvárienſe.*

(b) Variorum
1. *Dominium epiſcopatus Iaurinenſis.*
2. *Praepoſiti Cſornenſis.*
3. *Praeſulis Cellenſis.*
4. *Arcis Kereſztur.*
5 *Köſzſzögienſe.*
6. *Széplakienſe.*
7. *Bona comitum et nobilium.*
8. *Bona liberae regiaeque vrbis Sopronienſis.*

5. Tribus inſidetur liberis regiisque vrbibus. Harum princeps eſt:

1. Sempronium (Suprun) Hungaris, Soprony, Germanis, Oedenburg, Slauis, Sjopron. Poſonium

ei ortum verſus ad 8. milliaria; Vienna, verſus ſeptentrionem, totidem milliaribus obiecta eſt. Nomen eius germanicum, inde ab Ottocari temporibus, qui vrbem ampliſſimam euaſtauerat, repetendum eſt. (h) Elegans hucdum, eſt, et bene culta; exigua tamen, niſi ſuburbia ei magnitudine celebritatem adderent. Ciues plerique Germani ſunt, vinum inter nobiliſſima Hungariae merito referendum, colentes. Atque hic omnino maximus ciuium quaeſtus olim fuit. Sileſii quippe, magnam vini copiam, quotannis hinc euehebant (i) Habet vrbs etiam typographiam elegantem. In ſuburbio eſt templum S. Spiritui dicatum, in quo cruciferi S. Ioannis Hieroſolymitani, vſque ad annum 1577. rem diuinam faciebant. Alterum templum in ſuburbio a Ioanne baptiſta denominatur. D. Franciſci et Dominici ſocii, vt et ſacræ virgines D. Urſulae ſociae hic ſua monaſteria habent. 1779. capitulum hic eſt fundatum; quod, ex praepoſito conſtat, et quatuor canonicis, ad quos iura ac prouentus 22 be-

(h) Sempronium vrbem nonnulli denominatam eſſe dicunt, a *Sempronio* orae huius domitore, alii, ab Aproniano, qui Valentiniano imperium Romanum tenente, hic praefecti munus ſuſtinuiſſe dicitur. Aliis, hic placet Antonini Scarabantiam quaerere.

(i) De vino Sempronienſi vide prodrom. Matthiae Belii. Perhibent aliqui, Salomonem regem, Saec. XI. vrbem hanc multis ornaſſe priuilegiis, primamque eam eſſe in Hungaria, quae, ex munificentia regis huius, liberae regiaeque vrbis axioma, ob nauatam egregie bello operam contra Bulgaros, et Biſſenos accepit. Neſcio, vnde id poſſet doceri. Buda, Alba regalis. et Strigonium iam antea libertate hac gaudebant, Saec. XV. eandem iure pignoris Fridericus III. Romanorum imperator tenebat, qui templum quoque in eadem, in honorem S Michaëlis archangeli poſuerat. PP. ſoc. Ieſu ſaec. XVII. eo ſunt deducti, qui deinde, poſt aliquot annos, opera Georgii Draskovits laurinenſis epiſcopi templum domiciliumque elegans D. Georgio ſacratum conſecuti ſunt. Fundauit is anno 1653. etiam conuictum nobilium.

beneficiorum sacrorum, seu altariarum hic antea prostantium pertinent. Vrbs ipsa octo vicinos amplosque pagos habet. August. confessioni addicti in vrbe oratotium habent, in suburbiis gymnasium.

2. Rustinum, Hungaris & Germanis, Rust, ad lacum Peisonem, duobus Sempronio milliaribus in septentrionem recedit. Parua quidem vrbecula; at compta tamen satis, inter liberas et regias vrbes anno 1681 relata. Incolas humanitatis prorsus filios dixeris. Ita peregrinos sibi deuinciunt. Diligentes non minus, quam rei domesticae, cum cura gerendae, solerter sunt intenti. Vina eorum, pari cum Sempronienfibus vice, magna in copia olim Silesiae subuehebantur Vlterius est.

3 Kis-Márton, Germanis, Eisenstadt, Slauis, Zelezne Mesto. Et haec quidem commodum versus Austriam positum nacta est; tenuior tamen prioribus, duobus milliaribus Sopronio; totidem Neostadio dissitum est. Inter liberas et regias vrbes locum anno 1649. adhuc est consecuta. Religiosos Seraphici ordinis sodales Nicolaus Eszterházy, Augustinianas vero sorores, filius eius Paullus S. R. I. princeps, et Hungariae palatinus. fratres misericordiae, princeps idem Paullus Antonius, anno 1760. eo deduxit, domiciliumque eis posuit. Arce insignitur, quam princeps Paullus Eszterházy, sumtibus regiis, regiaque magnificentia, exstruxit, ornauitque.

6. Arces tenet plures, quam vt adnotare eas, vel ob multitudinem, vel ob interitum, habeamus necessum. Placet tamen sequentes adtingere:

(a) *Frakno*, Germanis, Forchenstein, eo potissimum nomine insignis, quod eam in titulis gerant principes et comites Eszterházy. Excedit ea altius, bene satis munita, quapropter, et principis memorati hic aerarium est. Tenebat eandem

dem olim familia de Frakno, qua exſtincta, in Friderici III. imperatoris Romanorum, deuenerat poteſtatem (k) Hinc ſecedunt

(b) *Szarukö*, Germanis Hornſtein.
(c) *Landſee*, Hungaris, Lanſér.
(d) *Lakenbách*.
(e) *Kobold*, (Kabold) Germanis Kopersdorf.
(f) Kereſztur, Germanis, Kreuz, arx cum oppido eſt, vt priores, iuris Eſzterházyani:
(g) *Kápuvar*, in inſulam Rabaköz reiecta, quae male a nonnullis Kaposvár vocatur. Arx haec peraeque Eſzterháziana, anno 1708. a Rakoczianis euerſa eſt.
(h) *Leuka*, Lokenhauſen. Pleraeque harum, exiles ſunt, et, vel munitae aliquantulum, vel ſoli tantum habitationi adparatae Splendore et magnificentia, ſuperat facile omnes priores
(i) *Eſzterház*, ſummis impenſis S. R. I. principis Nicolai Eſzterházy in planitie amoeniſſima, anno 1769. ſequentibus, poſita. Viuaria ferarum, horti magnifici, et planities, qua omni ex parte late circumdatur, ſilua, quam a tergo habet, vaſtiſſima, multum ad eius ſplendorem conferunt. Reiecta vero arx eſt, Sopronio, verius orientem ſolem, ad vnum milliare.

7. Elegantiorum oppidorum nulla hoc comitatu inopia eſt. Tota enim regio, quam late patet, copioſiſſime colitur. Praecipua haec fere ſunt.

In proceſſu ſuperiori extra Rabam.

(a) *Egyháza Fehér*, Germanis, Dunkelskirchen.
(b) *Fekete Város*, Germanis, Burbach, ad lacum Peiſonis, quatuor fere lapidibus Poſonio diſtat. Eſt iuris Eſzterháziani cum viciinis poſſeſſionibus.

(k) Anno 1466. Sigism. Veiſpach accepit facultatem eam redimendi, eo, quod dimidium pecuniae, quae pro diademate ſacro, Friderico auguſto numeranda erat, contulerit. Anno demum 1635. Nicolaus Eſzterházy eam magnifice inſtaurauit. Paullus Anton. Eſzterházy Seruitis domicilium ibi dedit.

bus. Vinum, quod promontoria eius fundunt, praeſtans eſt, Sopronienſe tamen ac Ruſtenſe illi anteponitur.

(c) *Nagy*, ſeu Großhöflein.

(d *Kobold*, Kobersdorf, ad arcem cognomen, acidulis memorabile oppidum.

(e *Kereſztur*, Germanis Kreuz, non confundendum cum oppidis et pagis multis hoc nomine inſignitis in aliis comitatibus quaerendis.

(f) *Laſer*, Germanis Landſee, ad arcem hoc nomine gaudentem.

(g) *Löretom*, Germanis Laurete.

(h *Nagy-Márton*, Germanis, Makersdorf.

(i) *Szent-Margitha*, Margarethen.

(k) *Szent-Mártony*, heiliger Martin.

(l) *Nyek* Germanis Nekermark, vno tantum diſtat milliari Sopronio.

(m) *Rákos*, Germanis, Kroißbach, quod idem ac Krebſenbach ſignificat, perpetua epiſcoporum Iaurinenſium poſſeſſio, qui, amplum et eleganter inſtructum caſtellum illi inaedificarunt, in occidentali Peiſonis litore. Nobili vino excellit.

(n) *Szarukö*, Germanis Hornſtein, ad arcem eiusdem nominis.

(o) *Szeleskut*, Germanis, Breitenbrunn, eſt etiam iuris Eſzterháziani.

In proceſſu ſuperiori infra Sopronium.

(a) *Köhalom*, Germanis, Steinburg.

(b) *Lochmand*, Germanis, Luntzmansburg.

(c) *Lövö*, Schützen.

(d) *Szent-Miklos*, cuius nominis loca in multis occurrunt comitatibus.

In proceſſu inferiori extra Rabam.

(a) *Beö*,

(b) *Cſepreg*, Cſepregh oppidum alias celebre, in quo, comites Nadasdi, ſedem et ſcholam ſaec. XVI. & XVII. celebrem, quin et typographiam

phiam habebant. Sunt, qui illud Sabring vocant. (l)

(c) *Sajtoskal.*

In processu superiori insulano.

Kapuvdr, ad arcem nomine hoc insignitam quaerendum.

In processu inferiori intra Rabam

(a) *Csorna*, seu Chorna oppidum praepositura S. Michaelis ordinis Praemonstratensium circa annum 1180. vt dicitur, fundata notum. Gaudebat conventu S. Michaelis archangeli. (m) Iaurino distat plusminus tribus milliaribus. Dedit illud nomen processui Csornensi.

(c) *Szany.*

(d) *Szill*, etiam iuris Eszterháziani.

Neque adhuc praetereundi sunt duo pagi:

Szeplák, videlicet ad lacum Balatonis duobus castellis notus, quorum alterum Széchényanum, alterum Viczianum est.

Wandorf, vna hora Sopronio, versus occasum recedens vicus, in quo est elegans monasterium et tirocinium Paullinorum, qui, a Sopronienfibus, anno 1481. huc deducti et dotati esse perhibentur. Occupauit valde amoenum locum.

8. Supremi comitis dignitate, princeps S. R. I. NICOLAVS ESZTERHÁZY potitur, et quidem iure hereditario. Obtigit ius hoc genti illustri anno 1712. quo etiam titulos S. R. I. principis, quoad primogenitum, ex hac gente, quae amplissima per Hungariam habet bona, est consecuta. Conuentus publici Sopronii, interdum in vico Nemeskér, vbi etiam carceres publici sunt, habentur.

§. III.

(l) Quaerunt hic aliqui veterum Scarabantiam Iuliam, de qua Plinius hist. Lib. XXXIV. auctor topographiae magni regni Hungariae (Viennae 1718. impressae) illud ad Castriferrei comitatum sine causa refert.

(m) Maximil. Decr. VII. art. 32.

§. III.

COMITATVS CASTRIFERREI, Hungaris, Vas-Vármegye, Germanis, die Eisenburger Gespanschaft, ab arce munita Vasvár, latine, Castrumferreum, quae intercidit, sic denominatur. Et is quidem.

1. Commodo positu, resedit, agris cum fructu colendis, apprime idoneo. Ad Semproniensis prouinciae fines, capit initia, unde demum, longo itinere, ad Styriam vsque pertingit. Adtingit, ad occidentem, Austriam et Styriam; ab oriente, Vesprimiensem; a septentrione, Semproniensem; a meridie, Szaladiensem; comitatus. Id certum est, vnum e maximis Hungariae comitatibus esse, eumque campis et collibus obsitum. Longitudo eius protendit se ad 16. latitudo ad 5. 8. alicubi ad 14 milliaria. Habet nobiles multos, arces et castella ad magnificentiam exstructa.

2. Colitur ab Hungaris, Slauis, Croatis, plurimum vero a Germanis, qui regionis felicitatem, industria diligentiaque sua, reddunt ampliorem. Habet pagos 597. oppida 26. alit integra prouincia 176515 homines inter quos 1333 Iudæi sunt. Aerario bellico quotannis 207338. fl. 50. xr. subministrat.

3. Fertilitatis tantae agros continet, vt felicissimam incolarum conditionem dixerim, non immerito. Frumentum, fructusque, generis omnis, ita proueniunt, vt nuspiam copiosius. Vino in primis celebrandus venit, eo potissimum, quod in monte Somlyo colitur. In quercetis, magnam porcorum gregum copiam, saginant incolae, quin altilia etiam educant, quam plurima, quae Viennensibus magno aere subministrare consueuerunt.

4. Processus quatuor numerat prouincia, quorum haec sunt nomina:

(a) *Superior*, Germanicus, siue Ginzensis.

(b)

(b) *Montanus*, ad fluuium Mura.
(c) *Sabarienſis*, ad fluuium Rába.
(d) *Submontanus*, ſeu Keményes-alá.

5. Vrbes, hac in prouincia ampliſſima, duae ſunt:

1. *Köſzöginum*, Ginſium, Hungaris *Köſzög*, Germanis Ginß, a fluuio praeterlabente Güntz dicto, Slauis, Kyſeg, libera regiaque ciuitas ab anno 1649. (n) Diſtat Sopronio 4 milliaribus. Exigua quidem eſt, nec ſplendida adeo aedificiis, celebris tamen vini prouentu, et fructuum inprimis, qui peculiares hic copioſe proueniunt. Proinde, ea, Regi, pomorum perſicorum, ſicuti Poſonium, ceraſorum, Sempronium, vuarum, primitias olim ſubminiſtrabat. Ciues Germani ſunt, intermixti tamen etiam Hungarorum plerisque. Eſt quoque hac in vrbe tribunal minus, ſeu tabula diſtrictualis Trans-Danubiana. Accepit vrbs haec PP. Soc. Jeſu anno 1684. Georgio Széchinio, eo illos promouente (o) anno 1777. die 9. Junii flammis, 209. domus optimae abſumtae ſunt.

2. *Sabaria*, Hungaris Szombathely, Germanis, Steinamanger, Romanorum vetus colonia fuit, cujus rudera viſuntur hodieque. Vrbs alioquin eſt copioſa, non tamen regia, fertili potiſſimum & amplo agro donata. Eſt celebris natalibus diui Martini epiſcopi, praebetque hoſpitium canonicis ſacerdotibus de Caſtroferreo. Anno 1777. nouum hic Auguſta Regina fundauit epiſcopatum, quem IOANNI SZILY de felsö Szopor, benigne contulit. Georg. Széchény monaſterium, hic vnum, pro

(n) Ciuitas haec, Turcarum Sultano Solimanno, cum anno 1531. oppugnaretur, propugnante acerrimo viro, Nicol. Juriſſithio, tam fortiter reſtitit, vt ſummam ſibi apud omnes laudem fortitudinis conciliaret.

(o) Deuenerat Matthia I. regnante, quinque cum vicinis arcibus, iure pignoris, ad Frid. III. imperatorem, qui armis Coruinianis deinde illinc remotus eſt.

pro ordine Seraphico, alterum, pro Dominicano fundauit. (p) Solent quoque hic conuentus prouinciales celebrari.

6. Arces montanas, quam plurimas numerat, quae validis olim praesidiis fuere instructae, Sunt:

(a) *Németh-Vjvár*, Germanis, Güssingen, Germanorum opus est, pluribus iam obsidionibus superstes. (q)

(b) *Vasvár*, Castrum ferreum, Germanis, Eisenburg, locus antea munitus, a quo tota prouincia denominata fuit. Habebat et praepositurам S. Michaelis, seu canonicorum capitulum, amissa tamen Canisa, Sabariam translatum. Dominicanos eo Georgius Széchény archiepiscopus Strigoniensis deduxit.

(c) *Körmönd*, propius abest a priori, ad alterum tamen fluuii Rabae, qui mediam regionem perluit, marginem reiecta.

(d) *Arx rubra*, Germanis Rothenthurn, Vörös-Vár, in planitie aperta, ad amnem Pinkam. Potiuntur arce comites Erdödii.

(e) *Monyórokerék*, Germanis, Eberau, a qua suum comites Erdödii titulum de Monyorokerék tulerunt. (r)

(f)

(p) Ornamenti quoque nonnihil accepit ab arce vicina, quae hucdum erat iuris Iaurinensis episcopi. Ferd. I. decr. VI. art. 48. Iam ad domesticum praesulem spectat.

(q) Nunc arcem, cum dynastia ampla, Batthyaniorum familia possidet, anno 1522. quo Francisco Croatiae et Dalmatiae bano, a Ludouico II. rege collata est. Comites de Gissing saec. XIII. valde celebres potentesque erant. Conciliant arci situm amoenum, siluae vicinae, colles vitiferi, et agri fertiliores. Erat hic olim, vel in oppido potius, abbatia de monte Gissing, quam loci comes Volferus 1175. condidisse dicitur. Nicolaus Istuanff. scribit lib. VIII. p. 39. oppidum in plano et patenti loco esse positum, arcem tamen rupi altae, sed ab omnibus vicinis separatam.

(r) S. Paulli Eremitae familia ex Bertholdi Elebrachii liberalitate domicilium 1373. hic acceperat. Exstincto filio Ber-

(f) *Salonica*, Germanis Schleining, Hungaris Szalonok (Zalonok) praerupto monti insedit, estque aditus difficilis. Enimuero commeatus asinorum ministerio, inferendus est; ita angustas habet semitas. (*s*)

(g) *Dobra*, Krabatdorf, eiusdem situs cum priori, Slauorum opera, solerter aedificata: quod, & ipsum nomen indigitat. Arci subiectum est oppidum cognomine, vno milliari ab abbatia D. Gotthard reiectum (*t*)

(h) *Fanum S. Gotthardi*, locus est quem victoria de Turcis anno 1664. parta, celebrem fecit. Est diversum ab oppido, Szent Gróth, quod etiam in Castriferrei comitatu iacet. (*u*)

(i) *Rakitsán*, Rakitsania arx, cum dynastia pertinet ad dominationem comitum Batthyani, ad Muram amnem, et in limite Styriae inferioris.

(k) *Boroſtyan*, Borostyankö, Bernstein, arx excelsum montem occupauit, quod oppidum quoque ad amnem Pinka habet.

(l) *Vép*, Vepium, Wettendorf, arcem habet vetustam laxo solidoque lapide circumcinctam. Est in dominatione comitum Erdödii.

7. Oppidorum haec sunt praecipua:

(a)

tholdi Ioanne Thomas Bakacsius archiepiscopus Strigoniensis arcem oppidumque Monyorokerék consecutus est, et ad illustrem comitum Erdödii gentem traduxit.

(*s*) Ordo S. Pauli eremitae hic 1425. domicilium, liberalitate Andreae Baumkirchneri, acceperat. Ferdinandus I. castrum Francisco Batthyanio contulerat. Vid. Decr. anni 1537 art. 27.

(*t*) Paret, cum oppidis Szent Mártony et Körmend, arce Rakicsan, et pagis multis, illustri genti Batthyanianae.

(*u*) Arx et oppidum hoc nomine insignitur. Recedit a Németh Vjvárino, Styriam versus, vno milliari. Abbatiam Cisterciensium hoc in loco Bela III. rex anno 1183. fundasse dicitur. Legas notitiam historicam, de ortu et progressu abbatiae S. Ord. Cisterc. B. M. V. ad S. Gotthardum dictae &c. P. Theoph. Haim. Viennae 1764. euulgatam.

(a) *Sárvár*, quod luteam arcem significat, ab Hungaris colitur (x)

(b) *Rohoncz*, in occidentem a priori recedit, loco editiore positum, Habitatur a varia Hungarorum, et Croatarum plebe. Habet praeterea non paucos Iudaeos. Arcem habet Batthyanianam, sumtu fere regio aedificatam, et pretiosissimis imaginibus mirum in modum exornatam. (y)

(c) *Saloncz*, Szalonok; arci, quam descripsimus, adsedit, muro incinctum. Inquilinos habet Germanos, veteri illa Boiorum lingua loquentes. Templum in suburbiis amplum eis est.

(d) *Güssinga*, Németh-Vjváriensi arci oppositum est oppidum, et agro, et pecore abundans. Celebris antehac fuit hoc loco, abbatia, quae tamen dudum iam translata aliorsum est Notari adhuc merentur

(e) *Monastarii*, seu Monostor, a fundatore vero qui comes Bors fuisse dicitur, Bors monostra, abbatiam habebat celebrem Benedictinorum primum, mox Praemonstratensium, oppidum vix est Ginsio medio milliari reiectum. (z)

(f) *Mura-Szombath*, Mura Szombathinum, oppidum, quod simul arcem habet. Gloriatur solo frumen-

(x) Sunt, qui Boiorum temporibus adscribant, oppidum, quod, ex Sabariae vrbis celeberrimae ruderibus, exstructum fuerit; quod tamen ipsa oppidi denominatio haud admittit. Sedem praebebat saec. XVI. Thomae Nadasdy palatino Hungariae. Proximo in pago Leka, sodales Augustini habent monasterium et templum, quod, conditorio eleganti comitum Nadasdy est insigne. Non est confundendum cum castro Saruvár; saec. IX. ad fluuium Zamus seu Sámos erecto. Anon. Belae regis notar. c. 21.

(y) Mentionem illius facit Sigismundus decr. an. 1405.

(z) Ferd. I. regnante fuit per Germanos occupatum. Ferd. I. decr. VI. art. 47.

menti feraci. Incolunt vero oppidum Slaui Vindi, quos vulgus Vandalos vocat.

(g) Oberlindau, Lindauia ſuperior, oppidum frequens, quod a fluuio Lindaua, accepit denominationem. Vinum ſuppeditat nobile, eſtque in dominatione comitum Nadasdy.

(h) *Pinkaſeld*, Pinkaſelda, oppidum caſtello exornatnm, et hortis, et vivariis, circumſeptum. Conſedit ad amnem Pinka, habetque praeſtantes acidulas.

(i) *Szent-Mártony*, fanum S. Martini, oppidum mediocre verſus Veſprimienſem comitatum, paret comitibus Batthyany. Nec praetereundum.

(k) *Dömölk*, Dömölkinum, abbatia Benedictinorum, ad radices montis Ságh, quae abbati S. Martini de ſacro monte Pannoniae ſubeſt. Alias nobile fundit vinum.

(l) *Porno*, ſeu Bernau, oppidum, ad Pinkam fluvium, abbatia ordinis Ciſtercienſis anno 1235. fundata, ſaeculo ſuperiori fuerat collegio Jeſuitarum Sopronienſium collata.

(m) *Bozok*, vicus cum caſtello, comitum Batthyani, non confundendum cum Bozok Hontenſium.

(n) *Rámocz*, caſtellum elegans ad Rabnitzam, iuris baronum Cziraky.

(o) *Salomonſalua*, caſtellum, cum pago familiae Ratkianae.

(p) *Surány*, caſtellum Sigraianum, addas

(q) *Toria*, praepoſituram Cſornenſis filiam.

8. Supremus, isque perpetuus comes eſt ADAMVS iunior BATTHYANI S. R. I. P filius Ludouicici palatini regni, qui, comitatum hunc, genti ſuae, perpetuo iure adſeruit. Frater huius Carolus, ſacri R. I. principis titulos, pro ſe, et primogenitis, qui a Ludouico palatino deſcenſuri ſunt, procurauit.

§. IV.

§. IV.

COMITATVS SZALADIENSIS, Hungaris Szala-Vármegye, Germanis die Salader Gespanschaft, nomen a munito loco Szala accepit. (zz)

1. Amoeno is est positu, ad Balatonem lacum, montano quidem, altera tamen parte planissimo, siluis lacunisque obsito. Viginti prope modum milliaria longitudinis emetitur, latitudinis, vix quatuor; quippe, ab occasu, Styriae partim, partim Slauoniae accedens, inde demum septentrionali latere, a Comitatu Castriferrei diremtus, Vesprimiensi in oriente iungitur. A meridie habet Simeghiensem, a septentrione Baranyiensem comitatum.

2. Hungari colunt potissimum, quibus tamen Slauorum aliqui, et Croatae intersunt, lingua inficeti ac moribus. Numerat pagos 539. oppida 29. Incolas 197780. cum Iudaeis, quorum 1410 prostant. Solet 130533 fl. 55 xr. in aerarium bellicum anno quouis dependere.

3. Fertilis quoque ora est, nec vini cultu, frumenti aut fructuum generum copia postrema. Litora in primis Balatonis lacus, frequenti vite consita, conspicias. Pecuaria piscatoriaque re, prorsus excellit comitatus. Ceterum, obnoxius est multorum fluuiorum exundationibus, quorum sunt principes:

(a) *Drauus*, de quo supra parte generali aliquid dictum.

(b) *Szala*, qui, ab occidente, in orientem fertur, eo potissimum nomine notandus, quod Balatonem lacum, de quo supra commemoratum, efficiat.

(c) *Mura*, veteribus Sabaria, longis ambagibus hic diuagatur, peninsulam Muraköz, Csak-Tornya; alias

(zz) Aliqui malunt id fluuio Zála, qui comitatum periuit deriuare, Szala alias erat arx ad radices montis praealti, viribus confisti, Arcis huius fundamenta Bela I. vel III. rex posuisse creditur.

alias vocatam, molitur. Amoena ea regio est, Zrinianae olim, nunc Althanianae ditionis.

4. Quinque processibus absoluitur prouincia, sunt vero:

(a) *Maior* sedis Kapornak, a riuo Valitzka, incipit, longius ad Muram fluuium protensus.
(b) *Minor* sedis Kapornak, eodem, quo prior, tractu incipit, ad Szalam amnem usque diuagatur.
(c) *Sedis Szantó*, qui a Szala ad Lesentsum vsque procedit.
(d) *Sedis Tapolcza*, in prioribus finibus sumit initia, inde demum ad possessionem Alsó-Eörs, vltimam nempe comitatus, excurrens.
(e) *Dominii insulae Muraköz*, quod non ita pridem separatum est, antea enim sub maioris sede Kapornak processu, continebatur idem hoc dominium.

5. Munimenta tria potissimum comitatum tuentur.
(a) *Szala*, celeberrimum olim Romanorum propugnaculum nunc tenue admodum visitur, insignis tamen hodieque abbatia est, S. Adriano dicata. (*a*) Ciues habet Hungaros.
(b) *Canisa*, Kanisa, nobile municipium est, quod tamen iussu Leopoldi anno 1702. solo aequatum fuit. Considet palustri loco, stagnante fluuio cognomine Canisa, qui, digressus inde, ad Muram exit. Cincta igitur vndiquaque, et paludibus conspicitur, et arundine, vt difficile sit eius oppugnationem inire. Non arescunt lacus, nec fluuius deriuari aliorsum potest. Nunc adeo adtrita propugnacula sunt omnia, vt, ne minima quidem, munitorum operum adpareant vestigia. Nam

---

(*a*) Auctor topograph. magni regni Hungar. anni 1718. in Simeghiensi comitatu illud quaerit.

Nam, saepius obsidebatur a Turcis, imo et semel intercepta fuit. (b)

(c) *Csáka Tornya*, Germanis Tschakathurn, quae nomen, a vetere illa Csakyorum gente, accepit, quatuor a priori stadiis discedit, paludibus aeque cincta vndiquaque. Alioquin vino celebratur, quod, ob nimiam dulcedinem, ad Tokaiense accedere creditur. Nomen accepit a Csak, seu, vti veteres scribebant, Csach, tauernicorum regalium magistro, qui, circa annum 1271. illud fundauerat. (c) Saec. superiore illud familia Zriniana tenebat, et, ad omnem magnificentiam, exornauerat. (d)

6. Arces multae visuntur. In his celebres pleraeque atque munitae. Nomina vero haec habent.

(a) *Csobantz*, litus Balatonis insedit, monte alto, et hilari, quem amoeni luci nemoraque conuestiunt (e) in processu sedis Tapolcza. Est in

 pote-

(b) A munimento hoc denominationem traxit, toga sagoque celebris gens Kanisaiana, quae, ante duo saecula, iam est exstincta. Venerat, per Vrsulam Kanisianam, in dominationem Thomae Nadásdy. Vrsula vero, Kanisam cesserat Maximiliano II. imperatori, et, loco illius, oppidum Bors Monostor acceperat, Anno 1600. in Turcicam deuenerat potestatem, a quo nonnisi anno 1690. liberata est. De munimento vero hoc legi potest Nicol. Istuanffi hist. Lib. XXXI. anno 1601.

(c) Saec. XV. et XVI. ad Ernestinam familiam spectabat, qua exstincta, ad sacram coronam redierat. Ferdinandus I. decr. VI. art. 43.

(d) Praeter aedes et hortos splendidos, variis Turcicis armis, bibliotheca, variis codicibus exornata fuerat. Imagines etiam praestantissimae hic deprehendebantur. Omnia haec Jacobus Tollius in epistolis itinerariis p. 240. eleganter descripsit. Oppidum arci subiectum praebet Francisci sodalibus domicilium, mons vero, ab oppido aliquantum reiectus, Paullinos habet.

(e) Auctor topographiae magni regni Hung. et Ladislaus Turocz, illam, ad Simeghiensem comitatum referunt.

poteſtate principis Eſzterházy. Vicinus illi mons celebris eſt promontorio, quod Somlyoienſe vinum memorabile fundit.

(b) *Tibony*, in ſinu lacus Blatonis praerupta rupe, veteri opere conſpicitur. Modica tamen eſt, vixque centum praeſidiariis accipiendis ſufficiens. Poſſeſſio eſt archiabbatiae ſancti Martini ſacri montis Pannoniae.

(c) *Alſo-Lindua*, (Lendva) Limbach, (non tamen Lindau, vt aliqui putant) antiqui operis, paullum a lacus litore recedit. Superior Lindua eſt in comitatu Caſtriferrei. Initio ſaeculi ſuperioris, aliquot PP. Soc. Jeſu, huc adducti, vt rem ſacram procurarent, poſt breue tempus, complura in loca, religioſos expediebant. Natalibus comitum Bánſyorum, qui emortui iam omnes ſunt, celebratur (*ee*). Regia magnificentia inclutum in principis Paulli Eſzterházy dominationem abiit.

(d) *Fenékvár*, vltra Szegligetum depreſſo loco. Viſuntur hic quoque rudera laxae Romanorum coloniae.

(e) *Sümegh*, in amoenum monticulum reiecta, nobilis olim fuerat, munita praeſidio, quod hodie exulat, eſt epiſcoporum Veſprimienſium perpetua. Martinus Biro de Padány, magnificum hic aedificium poſuit, ibidem quoque ſepultus eſt. Auctor topographiae magni regni Hungar. illud ad Simeghienſem comitatum refert

7. Strido caſtrum, quod, exſtincta familia Erneſtina, ad ſacram coronam rediit. Ferd. decr. VI. art. 43.

Oppida plura comitatui inſunt, quam, vt ſingula, vel ob multitudinem, vel ob tenuitatem, conſignare neceſſum ducamus; nobiliora ſunt.

(a)

(*ee*) Denominabantur ab ea ſaec. XV. duces de Limbach.

(a) *Legrad*, munitionibus instructum egregiis, et ad Murae et Dravi confluentem adpositum, hodie celebre oppidum est, incolas partim nautas, partim agricolas sustentans. (*f*)

(b) *Lövö*, opportunitate loci maxima nobile. Adpositum et castellum habet, Szala fluuio propius accedente, egregie ad defensandos incolas idoneum, in processu sedis maioris Kapornak.

(c) *Egerszeg*, quibusdam Szaladinum, ad Szalam fluuium, muris olim gaudebat; quos tamen Turcarum iniuria absorpsit (*g*), est etiam in eodem processu, incolae Hungari sunt.

(d) *Tapolcsa*, fontem habet sulphurosum balneis potissimum idoneum; quin, domo etiam episcopi Vesprimiensis eleganter instructa superbit. (*h*) Denominatur ab eo processus sedis Tapolcza.

(e) *Szegliget*, (Szigliget) Langyeliorum iuris, mille a Csobantz passibus diuulsum. Insedit Balatonis marginem, monte suppari, amoenitate tamen longe desideratissima. (*hh*)

(f) *Stridon*, Stridonia alias, seu Strigova, S. Hieronymi, vt quidam perhibent, patria, in Murae peninsula excitata.

K 3 (g)

(*f*) Erat iuris Zriniani. Maximiliani decreto II. art. 17. §. 5.

(*g*) Ferdinand. I. regnante episcopus Agriensis illud cum Noua tenebat. Ferd. decr. V. art. 24. §. 2.

(*h*) Ad excursiones Turcarum, Albae regiae et Canisii, praesidia tenentium cohibenda, vallo, ex materia e terra egesto munitum fuit, prout et oppidum Töskevár. Auctor topograph. magni regni Hungar. (Vien. 1718.) vtramque ad Simeghiensem comitatum refert.

(*hh*) Saepe laudatus auctor topographiae magni regni Hung. et Ladislaus Turocz, illud ad Simeghiensem comitatum referunt. Vicinus illi mons, Bodacson dictus generosa vina fundit. Fonyod quoque olim non ignota, non procul inde distabat, et ad Simeghiensem comitatum pertinebat. Ferdinandus I. decreto XX. §. 55.

(g) *Racz Kanisa*, et Desznia, nunc duo oppida, prope amnem Mura crebris eluuionibus obnoxia.

(h) *Ormosdinum*, et *Palastrauium*, oppida, rudera operum antiquorum, arcisque ostendit. In priori Franciscani habent monasterium.

(i) *Noui Zrin*, Nouum Serinium, hodie vicus tenuis, saeculo superiori egregium opus militare, quod gens Zriniana, ad Murae et Draui confluentes, excitauerat. (i Vetus Zrinium ad amnem Vnnam, in limitibus Croatiae quaeri debet. Nouum Zrinium, a barbaro, anno 1664. captum et solo aequatum est. Paullo post, magnus ille heros Nicolaus Zriny, dum venatu se oblectaret, ab apro laceratus, miserabilem habuit exitum.

(k) *Keszthely*, Keszthelyinum, ad radices montis Zigligeth, et ad lacum Balatonis, oppidum elegans et populosum, in processu montis Szantó. Numerat 8000. incolas, quorum multi opifices sunt seduli. C. Paul. Festetics Vice-Praeses Exc. Camerae Hung. aulicae splendidum hic habet castellum, hortos amoenos, viuarium et piscinas aliquot. Habitant quoque hic alii viri ordinis equestris.

(l) *Szalavdr*, Szalauarinum, oppidum ad amnem Szala, in eodem, in quo prius, processu. Habebat olim castrum validum, quod comitatui impertiuit denominationem.

(m) *Csobantz*, Chobantz, oppidum tenue cum arce, quae in monte arduo est excitata: non procul a lacu Balatone, in processu sedis Tapolcza.

(n) *Fanum S Gotthardi*, in processu sedis Szantó, non confundendum cum S. Gotthardo, quod est in comitatu Castriferrei.

(o) *Kapornak*, Kapornakum, antiqua celebris Benedictinorum abbatia S. Saluatoris, in qua fuit re-

(i) Describit illud eleganter Valvassor in Carniolia sua Tom. IV. L. 12.

regni tabularium, in processu minoris sedis Kapornak.

(p) *Szechi-Szigeth*, Szechi-Szigethum, oppidum, agro segeti vitique benigno praeditum, in eodem in quo prius, processu.

(q) *Enyere*, in quo erat monasterium Paullinorum B. Mariae virginis, a Thoma et Ioanne Enyere fundatum. (*k*)

(r) *Sogora*, oppidum. (*l*)

(s) *Paka*, et *Kigyos*, castra olim munita. (*m*)

(t) *Bolondvár*, et Laccum, castra ad Balatonem excitata. (*n*)

(u) *Praepositura Raikensis*, anno 1239. in honorem d. Mariae virginis a Banfiis condita, et Praemonstratensibus adtributa. (*o*)

(x) Abbatia S. Iacobi de *Silisio*, ab Acha palatino anno 1064. vt perhibetur, fundata, ad Benedictinos pertinebat. (*p*)

(y) Abbatia Benedictinorum S. Crucis, ad fluuium Muram.

(z) *Almád* et *Csatár*, abbatia duplex, peraeque Benedictinorum.

(aa) *Jenöense*, monasterium anno 1453. pro Paullinis fundatum. (*q*)

8. Acidorum fontium duos habet comitatus; alterum in Füred, in Kékkút alterum. Ambo

K 4 et

(*k*) Kaprinay in hist. diplom. P. II. p. 255. Ladislai Turocz in Vng. p. 24.

(*l*) Tubero in comment. rerum sui temporis L. 4. §. 4. forte Chorgo alias vocabatur Ferd. I. decr. VI. art. 6.

(*m*) Ioann. Turocz in Chron. p. IV. c. 33.

(*n*) Istvanffi L. XXXIII. p. 797.

(*o*) Lad. Turocz in Vng. p. 24.

(*p*) Turocz l. c. p. 24.

(*q*) Turocz l. cit. p. 24.

et potu- commodi, et balneis, hic tamen posterior, et vilior priore est, et parcior.

9. Supremi comitis dignitatem S. R. I. comes MICHAEL IOANNES ab ALTHAN ab Augusto Regina iure perpetuo accepit.

§. V.

COMITATVS VESPRIMIENSIS, vel Besprimiensis, a Veisbrunn, vt aliqui putant, eo, quod albos seu puros fontes fundat. Hungaris, Veszprim-Vármegye, Germanis, die Wesprimer Gespanschaft, ab vrbe episcopali Veszprimio sic denominatur.

1. *Szaladiensi*, ab occidente confinis est, vbi demum a lacu Balatone versus meridiem recedens, Simeghiensem adtingit, ab ortu habet Albensem, a septentrione Comaromiensem, et Iaurinensem, comitatus.

2. Hungari maximam partem insident comitatum, porcorum pastibus quaestum facientes. Habet oppida 7. pagos 161, in quibus 80370. animae numerautur, et inter illas Iudaicae 1520. In aerarium bellicum administrantur ex hoc comitatu quouis anno 61306. fl. 10. xr.

3. Hunc comitatum silua Bakony (Bokony) ingens illa exasperat, de qua parte generali dictum iam est. Duodecim fere in longum, in latum 2. 4 et 5. alicubi milliaria protenditur, meris referta quercubus. Proinde, innumeros porcorum greges educant coloni, quos demum in multas regni prouincias agere consueuerunt. Carne certe porcina plerumque vescuntur, quae res locum fecit dicterio: Vesprimiensium colonorum carnem bubulam in arboribus crescere. Intellige, porcos glande saginatos, bubulae illis loco esse. Caeterum, et soli fertilitate gaudet eximia, et salubritate aëris. Quare, nulli regni prouinciae, vllo vitae commodo, secundam dixerim regionem. Passim enim deprehendes mona-

na-

nasteriorum rudera, inter quae antiquissima fuerit abbatia Bakonbéliensis S. Mauritii, cuius natales ad S. Stephani tempora referuntur; alterum claustrum Lewfeld Carthusianum, in eadem silua prostitisse perhibetur. (r) Olim, tota propemodum silua, in regis erat potestate, qui peculiarem praefectum, comitem denominatum, ei solebat praeficere.

4. Absoluitur processibus tribus, quorum haec sunt nomina.

(a) *Superior* ita dictus, quod partem comitatus superiorem, qua is Semproniensi, Iaurinensi, Comaromiensi et Albensi prouinciis adfinis est, ambiat.

(b) *Mediocris*, rectius fere medius diceretur, mediam enim comitatus partem insedit, longitudine trium, latitudine duorum milliarium. Totam, si circumfusam monti Somlyo planitiem exceperis, silua Bakony occupat.

(c) *Inferior*, integer pone lacum Balatonem procurrit; hoc est, a finibus Szaladiensis prouinciae, facto, iuxta limitem Albensem, flexu, usque ad confinium Simegiensis. Latitudo, qua maxima est, duo exaequat stadia.

5 Vrbs comitatum vna insidet, eaque episcopalis *Vesprimium*, Hungaris, Slauis et Germanis Veszprim, ad montem reiecta, munita olim non postreme. (s) At enim anno 1702. nudata munitionibus, superiorum iussu, fuit: circum vrbem vallis est, vbi suburbia conspicias multis variisque fontibus irrigua, in quibus ciues Hungari

(r) M. Turocz in Chron. P. III. c. 44.

(s). Arcem eius Ludov. Tubero Lib. III. commentar. §. 6. situ fere inexpugnabilem vocat. Anon. Belae regis Notar. cap. 48. Beszprem vocat. Werneher de admirandis Hungariae aquis p. 840. a fonte albo, qui arcem, episcopo sedem praebentem adluebat, Veisabrunn denominatam esse putat.

gari habitant. (*t*) Praebet sedem episcopo, qui nunc est IOSEPHVS BAIZATH, anno 1777. honoribus his sacris auctus, et sacerdotibus canonicis. (*u*) Diuerso tempore, Franciscani, Dominicani et Paulli sodales, hic se deposuerant: hodie, Franciscanos, et patres scholarum piarum ibidem deprehendes. In castro vero Vesprimiensi, omnium sanctorum erat praepositura, in qua secularis clerus sacra obibat. Hic quoque ordo Paullinorum, qui Paulli I. eremitae vitam sequebatur; enatus, ex mandato Vrbani IV. summi pontificis, a Paullo Vesprimiensium antistite anno 1263. regulam accipiebat.

6. Arces hae fere sunt praecipuae:

(a) *Csesnek*, Bakonyensi siluae, amoenissimo commodissimoque loco imposita est. Habet, et oppidum cultum egregie, quod in septentriones recedit. Olim erat iuris Garaiani, iam ad illustrem gentem Eszterházianam pertinet.

(b) *Pápa.*

(c) *Palota.*

(d) *Debrente*, prisca aetate celebris. (*x*)

(e)

(*t*) In valle dimidio horae spatio ab vrbe reiecta, prostabat claustrum beatae Mariae V. quod S. Stephanus rex, pro monialibus Graeci ritus, ad Basilii regulam se componentibus, fundauerat. Iam tamen Colomanni regis temporibus, loco harum monialium, Benedictinae, deinde Cistercienses sacrae virgines, illud occupauerant. Kapr. in hist. diplom. P. II. p 181.

(*u*) Episcopus Vesprimiensis cancellarius est reginae Hungariae, ius eandem coronandi sibi vindicat: Disceptabat hac de re, archiepiscopus Strigoniensis, cum Vesprimiensi, imprimis anno 1438. in Albensi vrbe, Strigoniensi, Elisabetham, vxorem Alberti regis coronare volente. Cessit, hac vice Strigoniensis, et Vesprimiensis diadema sacrum reginae imposuit. Sunt, qui existiment, Vesprimium saeculo IX. regibus Maharensibus sedem praebuisse.

(*x*) Kaprin. in hist. diplom. P. II. p. 247.

(e) *Eszegvár.* (y)
(f) *Bakonyvár.* (z)

7. Oppida sequentia hoc tractu reperimus.

(a) *Papa*, elegans merito oppidum in superiori processu, et, ob summam loci amoenitatem, commemorandum. Celebre olim munimentum fuit, cuius tamen, quod solo aequatum fuit, anno 1702. pauca adparent vestigia. Pertinet ad illustrissimam familiam Eszterházianam, praebetque Paulli Eremitae sodalibus hospitium. Fratres misericordiae eo deduxit Franciscus comes Eszterházy. Olim, Papa, bellica virtute inclutum fuit, celebraturque Papensium capitaneorum nomen.

(b) *Palota*, latine Palatium, cum arce, elegantis operis, in processu inferiori. Matthias Coruinus rex, summe eam in deliciis habuit; quippe, quam ipse magnifice satis exstruxerat. Post, multa variaque bellorum mala, multum adeo ruinae accepit. Oppidum satis populosum est, artificesque sedulos multos alit. Duobus Vesprimio milliaribus Albam regalem versus recedit, ad radices siluae Bakonyiae, estque Zychianum. Erat olim insigne aduersus Turcas propugnaculum.

(c) *Nagy-Vasonkö*, Germanis, Wason, Slauis, Wazon, aeque Zichianae dominationi paret, qui hinc de Vasonkö, dici consueuerunt. Conditum esse oppidum dicitur a Paullo Kinisio. (a)

(d)

(y) Kaprin. c. I. p. 148.

(z) Ferd. I. decr. anni 1546. art. 56.

(a) Heros hic incomparabilis, in templo d. Michaelis, a se fundato, conditus est Paullinos 1483. eo deduxisse fertur. Post infaustam cladem Mohacsianam, Ladislaus More illud occupaverat, indeque vicinos comitatus vastabat. Zermegh in histor. belli inter Ferdin. I. et Ioannem Zapolyam L. II. §. 4.

(d) *Devetſer*, Devecſer, oppidum in proceſſu medio, ad radices montis Somlyo reiectus, quem vinum Somlyoienſe, hac in ora nobiliſſimum, facit memorabilem. Eſt iuris Eſzterháziani. (*b*)

(e) *Tihány*, Tihanyum (*c*) oppidum, quod arcem, quoque in rupe ardua habebat. Celebritatem ipſi conciliat abbatia, quam Andreas I. rex, anno 1057. cum eccleſia S. Amiani epiſcopi honoribus conſecrata, fundaſſe dicitur. (*d*) Gaudet quoque benigno agro et vitibus.

(f) *Apacza Váſárhelyinum*, in proceſſu medio, pertinens ad virgines ſacras ſocias d. Clarae, quae tamen hinc Poſonium ſunt translatae. Paroecia loci huius, non Veſprimienſi epiſcopo, ſed primati regni ſubeſt, vna cum Felsö & Alsó Izkazenſi, vterque vero vicus, nominatis ſanctimonialibus paret.

8. Non ſunt praetereunda adhuc ſequentia loca:

(a) *Bakony-Bel*, (diui Mauritii Bakony-Bélienſis) Benedictinorum abbatia, olim non incelebris, quam S. Stephanus circa annum 1030. fundaſſe perhibetur.

(b) *Meſtrianum*, ſeu Meſtri oppidum, ad quod aliqui veterem Magentianam, ſeu Magnianam quaerunt.

(c) *Küvágó-Eörs*, habebat olim praepoſituram d. Magdalenae dicatam.

(d) Duae praeterea praepoſiturae ſunt notandae; vna *Michaelis de Hanta*, altera *B. Mariae virginis de Rathott*, quam nunc poſſidet comes Sigismundus Keglevics, de Buzyn, electus epiſcopus Makarienſis.

(c)

(*b*) Auctor topograph. magni regni Hung. et Ladisl. Turocz illud ad Simeghienſem comitatum referunt.

(*c*) Anon. Belae R. N. cap. 49. Thyon. Non eſt confundendum cum Tyhon, quod eſt in Szaladienſi.

(*d*) Tumulatus eſt hic Andreas I. rex, fundator abbatiae, Thurocz Chron, P. II. cap. 42.

(c) In *Zircz* Cistercienses degunt, et templum monasteriumque elegans nuper erexerunt.

9. Supremus comes comitatus huius est comes EMERICVS ESZTERHAZY de Galantha Magister equitum Caesarianorum cet. Conuentus prouinciae Vesprimii habentur.

§. VI.

COMITATVS IAVRINENSIS, Hungaris Győr-Vármegye, Germanis die Raaber Gespanschaft, a celebri illo Iaurinensium propugnaculo, nomen indeptus. (*dd*)

1. Ad Vesprimiensium fines a meridie, ad Castriferrei, et Semproniensium ab occidente, late vndiquaque planitie patente, accedit, septentrionalis autem comitatus regio, Mosoniensi Comaromiensi, orientalis terminatur.

2. Hungarorum recepit colonias; quae, colendis agris potissimum cum cura vinearum, reique pecuariae operas impendunt. Pagos numerat 77. oppidum tantum vnicum. Animas 54730. inter quas 525. Iudaica instituta sequuntur. Contribuunt in aerarium bellicum anno quouis 43740 fl. 55 xr.

3. Tota propemodum regio collibus vitiferis consita est, vinum non sortis postremae fundentibus. Qua vero in planum abeunt colles, campi rei pecuariae intertenendae commodissimi resedere.

4. Constat processibus tribus a situs indole adpellatis.

(a) *Tököz*, ita dictus, quod Rabcza hinc amne, illinc paludibus claudatur. Complectitur autem partem comitatus occidentalem, qua is agrum Mosoniensem et Sopronienseni adtingit. Quia vero

(*dd*) Antiquis Gewriensis, ex Hungarico Gewr, hinc Györ vocabatur. Sunt, qui opinantur, eundem tantum ab aetate Belae II. Iaurinensem vocari, sed sine fundamento.

ro medium fere Rabcza amnis secat; bifariam diuiditur, vocaturque pars vlterior, trans Rabczam, pars autem citerior, terra interamnensis.

(b) Processus deserti, Hungaris *Györi Puszta*, procurrit in meridiem, et pone Danubium in orientem; hinc quidem vsque ad Comaromiensium, illinc ad Vesprimiensium limites. Hunc quoque processum, bifariam diuisere in Fölsö-Sokorro, seu Sokorro superius, et Alsó-Sokorro, seu Sokorro inferius.

(c) *Processus insulanus*, Hungaris, Szigeth-Köz, vergit in septentrionem propugnaturque per extremam insulae Csallököz seu Schütt oram, riuo Csilis, in duos districtus, Csilisköz et Szigetköz diuisus. Alii comitatum in processus quatuor diuidunt, in Sokurallya, Tököz, desertum, atque Csilis-Közensem.

5. Munimentum comitatui inest longe celeberrimum, Iaurinum, Iauarinum, Iaurium, Hungaris, Györ, Germanis, Raab. (*ddd*) Habet axioma liberae et regiae vrbis, ab anno 1742. quod in comitiis regni anno 1751. confirmatum est. Iam antea exigua tributa, nonam et decimam nullam, pendebat. Multo notius propugnaculum, quam vt prolixius describi debeat. Ex commoda, ob accedentem Danubium; mercaturae, et ob circum sitam vndiquaque planitiem, annonae vilitate merito nobilissimum est. Duo tamen ad felicitatem loci consummandam desunt; ligna, et aquae. Nam, quaerit aquam in aquis, ad confluentia quippe trium amnium, Danubii, Rabae seu Arabonis, et Rabczae residens (*e*) Porro, sede episcopali non minus, quam canoni-

co-

(*ddd*) Iam anonym. Belae regis notarius c. 33. Iaurinensis ciuitatis facit mentionem. Sunt, qui veterum Bregaetium hic fuisse credant.

(*e*) Anon. Belae regis notarius c. 50. Rabucam vocat.

corum etiam capitulo, ad aedem d. Mariae in coelum assumtae, illustris est. Academiam quoque accepit, quae, inter primas patriae scholas locum occupat. Docentur enim, in ea, philosophiae, et theologiae partes. Sunt praeterea, hac in vrbe, monasteria, Carmelitanorum et Franciscanorum. Ordo praedicatorum seu Dominicanorum, primum in Hungaria domicilium, in vrbe Iaurinensi, (quod tamen aliqui non in hodierno Iaurino, sed prope illud collocant: anno 1221. accepisse dicitur. Iesuitae in meditullio vrbis claustrum elegans 1654. acceperant (*f*) Reliqua, de propugnaculo nobilissimo, nota sunt.

6. Arces nullas hac regione videas, seu, quod exstructae fuerint rarius, seu quod, intercideriint iam; praeter

(a) *Iaurinensem.* Septentrionali haec vrbis latere imposita est, elegantior aliquantum, ad episcopum pertinet.

(b) *S. Martonensem*, archiabbatia Benedictinorum memorabilem.

(c) *Hedervariensem*. in insula Cituorum 2000. passuum Iaurino distantem, quae olim celebris fuit, hodie tamen ne vmbram quidem floris pristini re-

(*f*) Ceperat vrbem hanc Turca anno 1595. post duos tamen annos, mira audacia et prudentia Schwartzenburgii et Nicolai Palffii, inde depulsus est. Vsi sunt Christiani in porta meridiei obiecta euertenda, felici successu, nouo machinae bellicae, quam pylorlastrum, seu petardam vocabant, genere. Emunitum vero est propugnaculum cura ac sumtu Ferdinandi I. Maximiliani II. et Rudolphi II Augustorum. Suburbia habet ampla, humilioribus aediculis instructa, vt cum necessitas poscat, et obsidio metuatur, dirui facile queant. Ciues Germanis mixti; Hungari sunt. Praesidium olim Germanicum, iam Hungaricum etiam admisit. Est quoque vrbs haec memorabilis conseruatione capitis S. Ladislai quod, Varadino, Albam regiam, inde vero, ob Turcas vicinos, anno 1600. Iaurinum deportatum est, et morte Elisabethae Ladislai V. regis Hungariae matris, quae in annum 1442. inciderat.

retinet. Olim ab ea gens antiqua Hedervariana quae longe lateque in Hungaria dominabatur, denominabatur (*g*), hodie ad comites Vitzay pertinet.

(d) *Raho*, *Rahouia*, castellum, cum vico, olim ad comites Kaunitz pertinebat.

(e) *Marczaltö*, a quo familia Marczaltöuiana, quam tamen aliqui malunt in Simeghiensi comitatu quaerere. (*h*)

7. Praeter arces has, pauca memoranda veniunt, et sola fere sancti Benedicti archiabbatia sancti Martini sacri montis Pannoniae, meretur considerationem, duobus Iaurino milliaribus in meridiem, monti adsurgenti altius imposita, dissidet. Vnde, a longinquo iam, circumfusa planitie, conspici potest. Claustrum formam castri habet, in colle trisulco, qui in insignibus regni Hungariae speciem aliquibus praeferre dicitur. Malunt nonnulli insignia haec, a monte hoc, quam a Tatra, Fatra, Matra, tribus montibus eminentissimis, qui in regno sunt, deriuare, (*i*) quo iure

(*g*) Denominationem accepit ab Hedrico comite de Hamburg. Diuidebatur vero familia haec in complures ramos, Pothiorum scilicet, vel Bothiorum, Konthiorum, Palfiorum. Kaprinay in historia diplom. P. II. p. 248.

(*h*) Vid. Kaprinay in historia diplom. P. II. p. 112.

(*i*) Claustrum ipsum saepius desolatum, et fere aliquamdiu desertum relictum fuerat. Nunc splendide reaedificantur omnia, quod facile praestari potest, cum archiabbatia sit opulentissima. In sacello subterraneo, vbi primus Hungarorum rex sanctus Stephanus cultui diuino saepius vacauisse dicitur, sella eius altari obuersa rubro incisa marmori, ostenditur; in qua, si quis consederit, a malo, vti ferunt, ischiatico liberatur. Quod ad reliquam coenobii conditionem adtinet, felix illa est. Archiabbas, soli supremo Pontifici Romano subest, et olim, lites multas, cum Strigoniensi, propterea, cum Vesprimiensi vero praesule et clero Sümegiensi, ob decimas Sümegienses habebat. Eligitur

iure non diſputabo. Neutra opinio probabilis eſſe videtur.

8. Supremus comes FRANCISCVS e Comitibus ZICHY de Vaſonkö. Conuentus publici Jaurini habentur.

§. VII.

COMITATVS STRIGONIENSIS, Hungaris Eſztergom-Vármegye, Germanis, die Graner Geſpanſchaft, denominationem ſuam metropoli prouinciae debet.

1. Exilis eſt regio, 5. admodum milliaribus procurrens, latitudine tribus ſaepe ſtadiis terminata. Danubio in partes duas ſcinditur. Verteſii montes, maximam regiunculae partem occupant, pauca relicta planitie, et ea quidem referta colliculis. Fluuii regionem plures interfluunt. In his princeps eſt Danubius, et, poſt illum, Granus. Vnde, nec paludes, nec lacunas hic deſideraueris. A ſeptentrione & oriente, comitatus Comaromienſis; Hontenſis, ab oriente; a meridie denique, Piliſienſis & Albenſis comitatus, prouinciae fines ſunt. Seiungitur vero a Iaurinenſi, incurrente Comaromienſis comitatus parte trans Danubiali.

Hun-

Eligitur a monachis Benedictinis, praeſente ex parte regis, delegato aliquo adminiſtro. Conuentuales archiabbas eligit, a rege demum ſtabiliendos. Subſunt eidem quatuor abbates S. Benedicti ex familia, quos inter Bakonbélienſem et Dömölkienſem, capitulum eligit, ille vero eos confirmat, abbas Pech-Varadienſis, ei etiam ſubordinatus fuerat, cuius bona idem archiabbas eſt conſecutus. Quartus, qui ei ſuberat, abbas Tihanyenſis fuit. Archiabbatiae vero titulum a Wladislao II. demum accepiſſe exiſtimatur, cum antiquiora documenta, et decretum anni 1498. art. 64. abbatis S. Martini tantum faciant mentionem. Condidit illam Geyſa, pater ſancti Stephani, hic vero rex eam perduxit ad perfectionem, et ampliſſimis exornauit immunitatibus. Id memoratu dignum eſt, plus vini coenobio eſſe, quam aquarum. Proſpectus vltimo, in late patentes campos habet incomparabiles, et oppidum monaſterio ſubiectum ad illudque ſpectans.

2. Hungari occupant eundem, intermixtis Slauorum Germanorumque hinc inde coloniis, quae, ob operarum in primis rusticarum, diligentem obseruationem commendantur. Oppida exhibet tria, pagos 44. Incolas 39572 inter quos 195. Iudaei sunt. In aerarium bellicum 33064. fl. anno quouis soluit.

3. Regio, vt iam dictum, montosa partim, partim plana est, Danubio, partibus ambabus praeterlabente Frumento in primis proficit pars regionis, pars sterilis, ob sabulosam & duriorem humum est. Vinum vbique colunt habitatores; quod, & album prouenit, & rubrum. Hic nobile, vilius illic est, prout soli conditio variat. Fructuum summa perpetuo hic vbertas est; ferarum tamen, sicubi, hic certe defectus ingens. Pecora reliqua, non tam quaestus, quam vsus, ad agricolationem, caussa alunt.

4. Diuiditur in processus duos, quos interlabens Danubius disterminat.

(a) *Strigoniensis*, eam comitatus oram conficit, quae meridionali Danubii ripae adiacet.

(b) *Párkanensis*. definit aduersam Strigonio regiunculam, & infra quidem montibus, planitie superius absoluitur. Hungari fere soli hunc inhabitant.

5. Liberam regiamque ciuitatem habet Strigonium, Hungaris, Esztergom, Germanis Gran, Slavis Ostryhom, Istropolis alias, vt & Isztrogranum interdum vocatur, (*k*) Exigua quidem vrbs ipsa est; sed muris tamen valida satis; licet saepius, bello ciuili recrudescente, euastata fuerit. Distat Buda quinque in meridiem milliaribus. Vltra eam Rascianorum vrbecula visitur, Germanis Rai-

(*k*) Multi hic quaerunt veterum Bregentionem. Est sedes archiepiscopalis, praeterea etiam notum satis propugnaculum. Describit Strigonium eleganter Vrsinus Velius de bello Pannoniae, et Wernher. de admirandis Hung. aquis p. 850.

Raizenstadt dicta. Quae, quanta quanta est, Rascianorum mercatoribus floret. Tercentenis abhinc passibus arx abest, eiusdem cum Strigonio nominis, in Grani ripa, infra vrbem, valida, et positu et communitione. Inceperat nuper vrbem, sed in primis arcem, magnifice instaurare S. R. I. princeps et archiepiscopus Strigoniensis Franciscus Barkoczy. Hic, et venerabile capitulum Strigoniense olim residebat, quod demum, Buda, Strigonio, aliisque vrbibus, a Turcis saeculo XVI. interceptis, Tyrnauiam est translatum. (*l*) Anno 1683. Turcae hinc vltimo depulsi sunt.

6. Oppida sequentia notanda:

(a) *S. Thomae*, quod venerabile ad Capitulum Strigoniense adtinet, mediocre oppidum, monti, non

L 2 lon-

(*l*) Strigonium liberae regiaeque vrbis axioma, a primordiis regni Hungariae tueri dicitur. Sedem illud Geysae vltimo Vngarorum duci praebuisse inde colligitur, siquidem sanctus Stephanus, filius eius, ibi in lucem editus est, & sacris ablutus aquis. Idem sanctus rex, archiepiscopatum hunc fundauerat, eique nouem attribuerat suffraganeos. Jus coronandi reges, adnitente Bela III., a Gregorio VIII. anno 1187. anno 1318. supremi Strigoniensis comitatus comitis, summi per Hungariam cancellarii, anno 1393. legati nati, universas per ditiones Hungaricas, anno 1492., a Nicolao IV. Papa, sacri vero R. Germanici imperii principum honores, ex liberalitate d. Caroli VI. Augusti consecutus est, archiepiscopus Strigoniensis, quae singula ex tabulis publicis, erudite, vt solet, exponit Georg. Pray in specimine hierarchiae sacrae Parte I, p. 2. Tres hic praeterea, prisca aetas, praepostituras numerasse dicitur, quarum prima d. Stephani protomartyris, altera d. Thomae, tertia S. Georgii de viridi campo est nuncupata. Tres quoque parochiae olim hic fuerant, prima, in regia liberaque vrbe; altera, in archiepiscopali; tertia, in arce. In hac sacra peragit curio petrinus, et Franciscanorum ex ordine monachi. In archiepiscopali etiam Franciscani habitant, et Jesuitas eo Georg. Széchényi anno 1687. deduxerat. Pro Franciscanis Bela IV. templum splendidum fundauerat, in quo, ille, vxor eius, et filius Bela, sepulti sunt. Praecipua, in arce Basilica erat, diuae Mariae virgini S. Adalberto martyri dicata. Subiectum illi erat olim duplex

longe a' Strigonio recedenti, impositum. Coloni, et Hungari sunt, es Slaui, Germanis mixti, qui ad sacra Strigonium abeunt.

(b) *Aquaticum*, quod Hungaris Belsö város, Germanis, Wasserstadt, dicitur, infra arcem resedit muris incinctum, qui tamen in rudus abiere. Barbari id, cum arcem Strigoniensem expugnassent, occuparunt, a quo iam tempore in dies magis deficit.

(c) *D. Georgii*, Szent György, aeque Strigonio adpositum parte meridionali. Coloni, vino in primis proficiunt, quod eiusdem cum Strigoniensi illo valoris est. Sunt vero Hungari non solum, sed Germani etiam, ac Slaui, qui inhabitant oppidum.

(d) *Párkány*, e regione sancti Georgii, in Danubii margine, ad ostia Grani visitur. Clade Turcarum anno 1683. nobilitatum. Kakad olim appellabatur oppidum, quod tamen nomen, post sedatos Rakoczianorum tumultus, cessauerat. Munitum olim egregie fuit, multis belli iniquitatibus vexatum, quod tamen omne iam est dirutum.

(e) *Batorkeszi*, Batorkeszianum, oppidum frequens, segeti et viti propitium agrum habens, ad comitum Pálffy pertinet dominationem.

(f) *Baina*, oppidum olim non incelebre, quod, ad inclutam Bothiorum, seu Pothiorum familiam pertinebat, hodie vicus est, vestigia pristinae celebritatis ostentat.

7.

plex sacellum magnifici operis, quorum vnum, Joannes Kanisa; alterum, Thomas Bakacs, archiepiscopus fundauerat. De templis, monasteriis, aliisque sacris fundationibus et archiepiscopis, complures sunt commentati: inter quos, hi sunt praecipui: Ladisl. Turocz in Vngaria cum suis regibus p. 79. Auctor topographiae magni regni Hungariae, Nicol. Schmidt in archiepiscopis Strigoniensibus, in primis Georgius Pray in specimine hierarchiae sacrae P. I. p. 2.

7. Demesiensis praepositura S. Margarethae, mille fere passibus Strigonio reiecta, cuius tamen nunc rudera tantum prostant. (m)

8. Supremus comes archiepiscopus Strigoniensis, ab aetate d. Caroli VI. etiam S. R. I. princeps salutatur. Hodie supremi et perpetui comitis prouinciam ornat, Celsiss. IOSEPHVS BATTHYAN S. Rom. Ecclesiae Cardinalis Presbyter, S. R. I. P. et archiepiscopus Strigoniensis, administrator vero officii supremi comitis est, comes LADISLAVS BALOG de Galantha. Conuentus publici Strigonii celebrantur.

§. VIII.

COMITATVS ALBA-REGALENSIS, Hungaris, Székes Fejér-Vármegye, Germanis, die Stuhlweissenburger Gespanschaft, nomen ab vrbe Albaregali fortitus.

1. Iungitur is ab oriente, partim comitatui Pilisiensi, partim Tolnensi, quae perpetua camporum serie meridionalem quoque plagam definit. Sed, ab occasu, regio ei obtenditur Vesprimiensis, situ hinc et illinc collibus asperso: septentrionem denique Comaromiensis partim claudit, partim Stigoniensis. Alioquin, positus regionis maximam

(m) Notabilis est fatali morte Belae I. regis. M. Joh. Thurocz in chron. Hung. P. II. c. 46. vbi id *regale vocat allodium.* Dicitur praeposituram hanc Almus dux, Belae II. regis pater fundasse, et 12. canonicos in eadem collocasse. Iam pertinet ad episcopum Nitriensem, cui, ob accisa episcopatus bona, est adtributa. Volebat an. 1449. praeposituram hanc Joh. Hunyades regni gubernator, Stephano Strigoniensi, pontifex vero summus Nicol. V. Valentino extero, cum titulo prioratus, conferre, vnde acerbae, inter summum pontificem, et ordines regni, obortae sunt lites. Quam strenue gubernator, cum ordinibus, ius patronatus apostolici regis tuitus sit, hac occasione, ex compluribus eius epistolis apud Schwandtn. in script. rer. Hung. T. II. euulgatis, elucet.

mam partem planus eſt, atque campeſtris, idemque crebris paludibus et lacunis refertus. Inter lacus in primis notari merentur Velenczenſis, Sóſztoienſis, et Ingouanus.

2. Hungari hic habitant, ſed admiſſis paſſim Germanis quoque, qui, poſt bella, cum Turcis geſta, vel iſtic remanſerunt, vel aliunde immigrarunt. Paſſim et Slaui occurrunt, pro more ſuo, nouis ſubinde coloniis, aduentantes, ſeu potius Croatae, & Raſciani. Pagi in eo deprehenduntur 68. oppida 5. animae ibi degentes ſunt 76660 vna cum Iudaeis 630. Aerarium regium adſignatos ſibi habet ex comitatu hocce 49596. fl. annue pendendos.

3. Foecunda regio eſt, rei pecuariae non minus, quam fructifero agrorum cultui commodiſſima. Vinum, quod fundunt colles vite obſiti, vilius eſt. Abundat praeterea, pecore atque piſcibus varii generis. Ceterum, aſperatur a ſeptentrione montibus, quorum duo hic maxime notari merentur.

1. Vertés (*n*) omnium Hungariae montium merito celebratiſſimus. Longe enim is lateque per varios comitatuum fines, porrigitur. Ad Tatam incipit, Budae vltimatim, quaſi regiam honoraturus, accedit. Totum eum querceta conveſtiunt, porcorum paſtui idonea, quorum greges innumeros alunt incolae.

2. *Bakony*, eo tractu ſtringit regionem, qua verſus comitatum Veſprimienſem properat.

4. Hic quoque in duos proceſſus diſpertitus eſt, quibus nomina ſitus impertiuere.

(a) *Vertes alaenſis*, monti Vertés ſubſitus, montano ſitu, in campeſtrem deſinit, occupatque oram regionis occidentalem.

(b)

(*n*) Anonym. Belae R. Notar. cap. 50. Vétrus.

(b) *Sarretensis*, consedit vtraque ripa riui Sárviz, estque campestris totus, et multa impeditus vligine, abitque in meridiem, et orientem. (o) Aliqui comitatum in tres processus diuidunt, videlicet, Sár-Mellékiensem, Csákvariensem, et Bitskeiensem.

5. Vrbs regioni vna admodum est, Alba-Regalis, Hungaris, Székes Fejér-Vár, h. e. sessilis, vel sessoria arx, Germanis, Stuhlweissenburg. Munimentum olim nobile fuit, humili planitie positum; paludibus limosis, Ingouána et Sostoiensi, quae aërem, et aquas reddunt insalubres, circumdatum; cuius tamen munitiones anno 1702. dirutae sunt. Diuidebatur olim in interiorem, et exteriorem vrbem. Illa, muris, et fossis praealtis cincta fuit, haec longa, et lata suburbia habebat. Vrbs nihilominus ipsa, et ciuibus augetur in dies, et aedibus. (*p*) Fundauit hic

(*o*) Riuus Sarviz a Nicolao Olaho in Hung. Libr. I. Sáros vocatur. Addit Olahus, eundem, molis frumentariis circiter 60. esse celebrem. Miscetur Danubio prope Bacham oppidum. Istvanf. L. I. hist. p. 10.

(*p*) Alioquin mirandum sane est, quomodo, tanta insalubritate loci cognita, S. Stephanus, in eandem inciderit, vt coronationibus cum solemnitate peragendis, regumque sepulchris, ornare illam voluerit. Sed vero, ne minima quidem, amplius monumentorum regalium vestigia supersunt. Anno 1543. Solimannus, eandem, armis subegerat, et omnibus opibus ornamentisque exuerat crudeliter. Anno 1688. virtute et prudentia comitis Batthyani, ad Christianos rediit. Anno 1527. vltima hic est Ferdinandi I. regis Hungariae peracta coronatio, quam descriptam deprehendes apud *Caspar Vrsinum Velium*, *de bello Pannonico Libr. II. p. 36. et in adnexa anonymi histor. coronat. Ferd.* I. quae multa cura ex codicibus manu exaratis, primus in lucem protraxit, et notis eruditis insignique auctario diplomatico illustrauit celeb. Adam. Franc. Kollár. Vindob. anno 1762. Erant, ante duo, et, quod excurrit, saecula, hac in vrbe, duae praepositurae, quarum altera B. V. Mariae fuit dicata, multisque au-

MARIA THERESIA augusta regina anno 1777: episcopatum, quem, IGNATIVS NAGY, de Sellye, antea Driuestiensis episcopus, est consesecutus.

6. Arce aeque vna maxime celebratur prouincia, quam, Hungari. Csokakö dicunt. Rotundo illa montis cliuo insedit, estque obsoleto erecta opere. Nunc, ternis Turcarum tumultibus inquietata, inermis iam iacet, adeo, vt ruinis foeda solitudo reuera dici queat. Dissidet Alba, duobus in aquilonem stadiis. Aderant olim, et aliae arces, nempe Palota, et Oroszlánkö, infra quas oritur riuus, Sáros seu Sárviz. (q)

7. Oppida quinque, vt iam supra indicatum est, in comitatu hoc prostant:

(a)

cta priuilegiis, altera, quae in suburbio deprehendebatur, a S. Nicolao accepit denominationem Illius praepositi aliqui regia in aula procancellarii munere defungebantur, summoque pontifici immediate, Strigoniensi archiepiscopo contradicente, subesse volebant. Solebat hucdum praepositus hic, in coronatione regis, subdiaconi defungi munere, et primis regni Hungariae saeculis, sacrum diadema, quod, hac in vrbe depositum erat, custodiebat. Coronatio vero regum Hungariae, in basilica B. V. Mariae consecrata, peragebatur. Intra ambitum vrbis huius denas olim fuisse aedes sacras, memoriae prodiderunt scriptores, et in suburbiis quidem, quatuor, reliquae, in vrbe ipsa, positae erant. Praebebat namque hospitium ordinibus, S. Augustini, praedicatorum, Paullini, Francisci, et sanctimonialibus. Habebat praeterea, praeceptoratum insignem, ordinis cruciferorum hospitalarium, a Stephano de Alba denominatum. Nunc in vrbe Franciscani degunt, reducti in claustrum, quod, pro illis, Ladislaus IV. fundauerat, et Carmelitae calceati anno 1688. eo deducti: templum et monasterium, pro Jesuitis Antonius Sarossi fundauerat. Vltimo notandum, fuisse, prisca aetate, in vrbe hac, curiam regiam, quod ex Andreae II. decr. I. et ex diplomate Belae III. apud Kercselich in episcopis Zagrabiensibus, pag. 78, patet.

(q) Nicol. Olah. in Vngar. Lib. I. c. 6. §. 1.

(a) *Mohr*, Mohrum, dynaſtarum induſtria in dies adſurgit, et in proceſſu Sár-Mellékienſi.
(b) *Adony*, (Adony), oppidum Danubio vicinum, in proceſſu Csakváriensi.
(c) *Lovas-Berény*.
(d) *Sárosd*, oppidum in proceſſu Csakváriensi, vt prius.
(e) *Erd*, alias Hanza-Beg, oppidum proceſſus Bits-keienſis. Notari praeterea merentur:
(a) *Csikvar*, ad amnem Sârviz, in ſeptentrionali parte poſitus. Munitus olim, ad defendendum amnis traiectum fuit locus, antiquis tamen Turcarum bellis penitus euaſtatus. Vno milliari in ſolem meridianum recedit.
(b) *Sár-Kereſztur*, Sari Kereſzturinum, frequens peraeque vicus, ad oppidi magnitudinem accedens, agrum accepit frumenti feracem.
(c) *Ertse*, vicus peraeque copioſus, Danubio vicinus, nec in antiqua hiſtoria ignotus.
(d) Ad ſiluas *Vertes* proſtabat olim oppidum Sambucum. (r)
(e) *Jánoſi*, oppidum Albae vicinum. abbatia B. V, quam Laurentius Vjlák, pro Benedicti familia fundauerat, olim notum. Alia abbatia erat in Jaſzt. (t)
(f) *Thymar*, poſſeſſio, a qua equites de Thymar. (t)

8. Supremi comitis honore, com. FRANCISCVS iunior de NADASD, perpetuus terrae Fogaras, S. C. et R. A. M. Camerarius ornatus eſt. Conuentus publici Albae haberi ſolent.

L 5 §. IX.

(r) Iſtvanff. hiſt, Lib. III. p. 43.
(s) Lad Turocz. in Hungar. p. 52.
(t) Kaprinay in hiſt. diplom. P. II. p. 214.

§. IX,

COMITATVS TOLNENSIS, et THOLNENSIS, Hungaris, Tolna-Vármegye, Germanis, die Tholner Gespanschaft, a Tolna exili oppido, sic nuncupatur.

1. Et is quidem amoeno positu resedit. Mox enim colliculis, mox laetis nemoribus, in planitiem diffunditur, manantibus hinc illincue riuulis, qui regionem vbertim irrigant. Qua in orientem prospicit, Danubii alueo, qua in occidentem, Simeghiensi, qua in septentrionem, Veszprimiensi, et Albensi comitatu definitur. Quod in meridiem reiectum est, Baranyiensium finibus cohibetur.

2. Habitatores Hungari sunt, Rasciani et Slaui, multi etiam annis superioribus, Germani, e Palatinatu, Sueuia, et Franconia, immigrauere, rusticationi studiosissime vniuersim operantes. Pagos complectitur 88. oppida 16. in quibus 110200. homines degunt, Iudaeos 950. hinc inde dispersos habentes, aerario bellico 43396 fl. 30 xr. quotannis subministrant.

3. Alioquin solum eius frumenti ferax est, licet aliquibus in locis sterili gaudeat arena. Vinum profecto nobilissimum gignit: exasperatur vero aliquantum montibus a meridie, regio, vt sunt: Simontornensis hegye, Kölesdiensis, et Székszardiensis. Singuli horum, quod vite plerique consiti sint, et ornant prouinciam, et reddunt percommodam vtilemque.

4. Tres continet processus, quorum haec est denominatio.

(a) *Superior* seu Földváriensis, eam regiunculae partem includit, quae, inter Sárviz, atque Danubium interest, planus partim, partim glabris collibus tuberosus.

(b)

(b) *Medius*, seu *Simontornyensis*, circumfunditur oppido Simontornya, tenetque mediam comitatus partem, et cum montano situ, insignem, tum irrigiuam quoque riuis compluribus.
(c) *Infimus*, seu *Völgységiensis*, ea regione describitur, quae est Kapos, et Sárviz amnibus inclusa.

5. Arces pauciores hac regione videas, nobiliores sunt sequentes:
(a) *Simontornya*, arx olim munita, ad confluentem Sárviz, Sijo et Kapos amnium, posita. Infra arcem oppidum est, cui comitatus domum celebrandarum congregationum, seu conuentuum prouincialium gratia, inaedificauit. Arx haec, nouissimis motibus, plurimum accepit detrimenti, et anno 1709. praesidiarii Rakocziani, qui in ea erant, deditione, in manus Heisterii deuenere. Pertinet ad comites a Lymburg-Styrum. Oppidum vero conuentu PP. Franciscanorum, prouinciae Marianae, ac vino generoso memorabile est.
(b) *Högyész*, castrum habet, quod, ad comitem Georgium Aponyi de eadem, pertinet, ab eo dynastia amplissima, hoc in comitatu, denominatur.

6. Oppida per processus suos sequenti ratione distinguuntur.

In processu Simonytornensi.

(a) *Döbrököz.*

(b) *Dombovár*, oppidum exiguum quidem, sed frequens est, in insula parua Sáruisii excitatum. Quinqueeclesiis duobus milliaribus, versus septentrionem, recedit. Habebat arcem Turcicis bellis satis notam, nunc in ruinis haerentem.

(c) *Iregh.*

(d)

(d) *Czora*, castello recenter, ex ruderibus antiquis excitato notum.

(e) *Pinczebely*, ad ramum Kapos. Pertinet ad principem Eszterházium.

(f) *Regel.*

(g) *Simontornya*, ad arcem cognominem, de qua supra.

(h) *Tamasi*, Thomassi, ad riuuli Sijo marginem, est iuris principis Eszterházi.

In processu Földváriensi.

(a) *Batta*, Batha, abbatia olim d. Mariae virgini sacrata, quae olim, ad Benedictinos, spectabat, celebris. Prouentus habet pulchros, ex piscatu, et vino, quod tellus profert, generoso.

(b) *Battaszék*, olim abbatia S. Michaëlis non ignotum.

(c) *Földvár*, duobus a Paks milliaribus in margine Danubii recedit, antacaeorum in primis captura memorabile. Habebat abbatem S. Helenae de Földvár, cuius redditus augusta regina vniversitati, quae antea Tyrnauiae fuerat, jam vero Budae est, in primis tamen facultati iuridicae atque medicae, contulit, *u*)

(d) *Paks* (*x*) Paxum, itidem ripa Danubii, duobus supra Tolnam milliaribus, adhaeret. Est frumentorum et vini ferax. Adnumerabatur herediis Daroczianis.

(e) *Szekszard*, Sárvisio amni vicinum; nec inelegans oppidum. (*y*) Collino id partim, partim pla-

(*u*) Euidens id est, ex decreto Augustae reginae anno 1769. per regnum euulgato.

(*x*) Tubero in hist. sui temporis Lib. IV. cap. 4. Pacs illud vocat, et addit, familiam Pacsensem, ab eo, denominatam esse.

(*y*) Turocz in chron. P. II. cap. 46. Zewkzard illud vocat, a fundatore Bela caluo, qui, vt ille scribit, in colore brunus, fuerat.

plano ſitu eſt. Coloni Hungari, praeſtanti vino rubro, quod peculiari quodam colendae vitis modo parari ſolet, quaeſtum magnum faciunt. Celebritatem oppido conciliat, abbatia ſeruatori ſacrata, quae, licet Quinque eccleſienſis epiſcopi circumcluſa eſt prouincia, Strigonienſi tamen ſubeſt archiepiſcopo. (z) Vinum Szekſzardienſe, Budenſi anteponitur, Sirmienſi tamen cedit.

(f) *Tolna*, Tholna, ob loci opportunitatem laudis eſt eximiae, Hunnorum in primis de Romanis victoria inſigniter nobilitatum. (a) Pertinet ad C. Paulum Feſtetics Exc. Camerae H. Aulicae Vice-Praeſidem, qui inde axioma quoque habet.

In proceſſu Völgységienſi.

(a) *Högyéſz*, ad arcem cognominem.
(b) *Köleſd.*

7. Comes ſupremus, anno 1777. eſt renunciatus, comes GEORGIVS APONYI de eadem, antea vero

(z) Fundata eſſe perhibetur abbatia, circa anuum 1061. a Bela I. rege, et ampliſſimis inſtructa iuribus, vbi etiam, idem rex, in tumulo conditus eſt. Thurocz. Chron. P. II. cap 46. Pertinebant ad eam olim nobiles, quos praediales vocant, ſeu exercituantes, qui peculiarem vice comitem, iudices nobilium, iuratos, tabulae iudiciariae aſſeſſores, habebant, a quibus graviores cauſae, ad abbatem delatae, reuidebantur. Licet vero immunitates has, Ludouicus II. decreto anni 1518. art. 26. confirmauerit, pridem tamen iam illae interierunt. Conuentum et eccleſiam nuper magnifice inſtaurauit, loci abbas, comes Joſephus Trautſohn.

(a) Aliqui malunt adſeuerare, pugnam hanc, apud Tulnam Auſtriae oppidum, eſſe commiſſam, qua in re, praeeuntem habent M. Thurocz in chron. P. I. cap. 2. Res tota aliis conficta eſſe videtur. Danubii ripam occupat, ſiluis caeduis paſſim obuiam agrisque fertilibus inſignem, Joannes Zermeg in hiſt. rer. geſtar. inter Ferdin. I. et Joannem Zapolyan. Lib. II. §. 2. oppidum ad Danubium celebre vocat. Ludouicus II. rex, amoenitate loci captus, comitia hic anno 1518. indixerat. Referebatur olim inter liberas et regias vrbes.

vero Quinqueecclesiensis episcopus Tolnensem et Baranyensem comitatus regebat.

§. X.

COMITATVS SIMEGHIENSIS, Somogyensis, Hungaris, Somogy-Vármegye, Germanis, die Schimeger Gespanschaft, a vetere illo Simigio, Hungaris, Somogy-vár, Somogyság, sic nuncupatus. Antiquissimum comitatum esse inde concludas, quod adhuc, ante annum millesimum comitem habuerit Cupam, qui, infelicis belli ciuilis erat auctor, quo, a S. Stephano deuictus, vita iuxta ac honoribus exuebatur. (b)

1. Positio comitatui, eo est iucundior, quo frequentiora nemora, siluae, et campi editi, conspiciuntur. Circumsidetur autem, a septentrione, lacu Balatone; a meridie, Drauo; prouincia Szaladiensi, ab occidente; ab ortu denique, Vesprimiensi, Tolnensi, nec non Baranyiensi comitatibus.

2. Hungari potissimum coloni sunt, quibus tamen, Croatae etiam, et Slaui accessere. Germani profecto, post pulsos Turcas, huc demum deducti sunt. Numerat oppida decem, pagos 307. in quibus, praeter 1280. Judaeos, 122460. Christiani degunt, in aerariumque bellicum quovis anno pendunt 70261. flor.

3. Coeli temperies, tota regione, ob fluuiorum limosas reliquias, quae prouinciam copiose inse-de-

(b) Insignia peculiaria comitatui contulit Wladislaus II. quae P. Szegedi inseruit decretis et vitis regum Hungariae, qui Transiluaniam possederunt p. 253. seqq. Postquam Turca magnam partem regni occupasset, comitatus hic cum Szaladiensi coniunctus, decreto anni 1715. art. 86. separatus est. Iam antea de limitibus, inter Simeghiensem, Tholnensem, et Baranyensem comitatus, certabatur. Litem hanc palatinus regni Paullus Eszterházi S. R. P. princeps, anno 1696. auctoritate regia dirimere volebat. Auctor topographiae magni regni Hungariae (anno 1750.) pag. 251. seq.

derunt, insalubris est, neque facile, nisi illi adsuetos, tolerat, excepta illa Balatonis regione, vbi salubrior aura esse incipit. Solum, et frumenti, et vini, et fructuum reliquorum, ferax est. Re pecuaria, adeo proficit; vt, colonis, maximum quaestum, vnde vitam trahant, conficiat. Inter vina, quae prouincia haec fundit, principem locum tenent, Badacsonense, et Somlyoense; vtroque in promontorio vinum natum, auri colore fulget. Sirmiense tamen, vtroque est dulcius et fortius. (c) Ferarum quoque, et auium copia, non parum comitatui conciliat celebritatis.

4. Diuiditur comitatus hic, in quatuor processus, quorum

(a) Est *Igaliensis*, versus Balatonem reiectus, aliqui Koppanensem etiam vocant.

(b) *Kapossiensis* partem comitatus magnam occupat.

(c) *Sigethensis*, laxus et hic est; omnemque eam regionem occupat, quae, a finibus Tolnensis, et Baranyensis comitatus, intra Kaposum, et Drauum amnes, in meridiem protenditur. Montoso est habitu, nomenque habet, a Szigetho communicatum.

(d) *Canisensis*, ex vicinia Canisae, quae est, apud Szaladienses, vel rectius, ab amne Canisa, qui hac decurrit, id nominis trahens. Insedit occidentalem comitatus oram, a Rinnia lacustri amne, pone Drauum, vsque ad Canisam procurrens, siluosus et hic, aquosusque est.

5. Arcibus valebat olim comitatus; quae tamen oppida nunc sunt pleraque. Superest.

(a)

(c) Istuanff. Lib. II. p. 15. scribit, totum Simeghiensem comitatum, agro et vino generoso nobilem esse.

(a) *Kaposvár*, ad Kapoſum amnem, inclutae pervetuſtaeque Deſeffiorum genti adſcripta. Iam oppido, quam arci ſimilior eſt. (*d*)

(b) *Babotsa*, (e) Hungarici et nominis eſt, et operis. Inſigne olim munimentum; quod tamen dirutum iam accipimus. Adnumeratur poſſeſſioni comitis a Rindsmaul. (*f*)

(c) *Ordo*, caſtellum (*g*)

(d) *Marczaly*, a quo familia de Martzaltövi. (*h*)

(e) *Syenyir*, caſtellum, vi decreti anni 1471. art. 29. demoliendum.

(f) *Abbatia S. Aegidii*, quam S. Ladislaus fundaverat. (*i*)

6. Tenet propugnaculum etiam comitatus nobiliſſimum, *Szigeth*, vel, vt malunt alii, Szigethinum, Germanis, Gränz Sigeth. Almáſo flumini adpoſitum est, paludoſa vndiquaque planitie. Ita denominatum eſt propterea, quod palude vndique circumdatum, inſulae formam adſumſerit. (*k*)

In

(*d*) Turcis anno 1686. adempta, a Rakoczianis disiecta eſt, ſaec. XVI. ad Deſeffiorum gentem ſpectabat. Iſtuanff. Lib. XX. p. 157. Nunc iuris eſt Eſzterháziani.

(*e*) Babolcsa. Ferdinandus I. decr. XIX. art. 31. Rudolph. decr. VII. art. 41.

(*f*) Anno 1555. ad Andream Bathory ſpectabat. Iſtuanff. Lib. XIX. p. 357. qui illud p. 666 inter Caniſam et Szigethum ad flumen Drauum, reiicit. Habebat olim abbatiam, quam auctor topographiae magni regni Hung. p. 61. ad Baranienſem comitatum refert.

(*g*) De quo Ferd. I. decr. anno 1546. art. 56.

(*h*) Kaprinay in hiſt. dipl. P. II. p. 112.

(*i*) Pray diſſert. de S. Ladislao p. 47. Fertur monachos habuiſſe facultatem, abbatem, quoties deſiderabatur, eligendi.

(*k*) Caput dicitur olim fuiſſe, comitatus cognominis, aliqui illud, ſine fundamento, ad Baranyenſem trahunt comitatum. Initia arcis et vicini oppidi, nonnulli referunt, ad Oſualdum

7. Oppida hoc ſe excipiunt ordine:

In proceſſu Igallienſi.

(a) *Igall*, oppidum, a quo pars comitatus denominationem trahit.

(b) *Koppan*, Koppanum; Hungaris Koppan, cum a Turcis inſideretur, aggere valloque munitum, hodie horum, praeter veſtigia, nihil viſitur.

In proceſſu Kaniſienſi:

(a) *Babolcsa*, Babocsa ad arcem cognominem.
(b) *Berzencze*, vel Breznicz.
(c) *Keſztbely*, oppidum caſtello inſigni exornatum.
(d) *Segesdvár*, in eodem tractu.

In proceſſu Kapoſſienſi:

(a) *Kaposvár*, ad arcem huius nominis.
(b) *Saard*.

In proceſſu Szigethano:

(a) *Sélle*.
(b) *Szigeth*, de quo ad arcem.

No-

Anthemium cuius parentes IV. ſupra X. ſaec. ex Graecia in Hungariam veniſſe dicuntur. Referunt eum excitaſſe in loco, a natura communito, arcem, vt ſe, ſuaque, contra excurſiones ſeditioſorum, quibus aetas haec non carebat, tutum reddere potuiſſet. Valentinus Török, arcem demum magis communiunt, liberi vero eius, illam ſaec. XVI. regi Hungariae ceſſerant. Iſtvanff. Lib. XIX. p. 359. vbi ſitum eius eleganter depingit. Hic, ille ducis fortiſſimi Nicolai Zrinii, et Solimanni Turcarum imperatoris tumulus eſt. Occubuere anno 1566 et Zrinius quidem cum omnibus, quatuor, ſi excipias, praeſidiariis An. 1688. Deditione receperunt Chriſtiani, arcem diu obſeſſam. Hac in inſula, Lazari olim denominata, Praemonſtratenſium praepoſituram fuiſſe, ex annalibus ſacri huius ordinis diſcas. Conſtat propugnaculis quatuor lunati forma definitis. Crebriores ea obſidiones, pertulit; multum ergo, vt coniici facile poteſt, a flore priſtino remiſit. Ladislaus Turocz in Vng. pag. 180.

Notari praeterea merentur:

(a) *Simigium*, tenuis, & ſi nomen, quod vniuerſae regioni impertiuit, demſeris, prorſus incelebris locus. Franciſci ſodales eo Georgius Szécsenyi deduxerat, qui etiam paroeciam adminiſtrant. Arx tamen *Simegia* eſt in regione Veſprimienſi.

(b) *Komárom-Város*, antiquis Komár, recentioribus geographis, Comaromium minus, Kis-Komár, praeſidium ſaeculo ſuperiore habebat, quod Turcarum, qui Caniſae erant, procurſiones obſeruabat, & pro temporum ratione coercebat.

(c) *Tapolcza*, et Töskövárinum, ſaeculo ſuperiori, terreis munimentis, ad cohibendas excurſiones Turcarum, Caniſae, et Albae praeſidium tenentium, auctum.

(d) *Andochirum*, in quo Ieſuitae ab anno 1640. rem diuinam faciebant. Anno 1715. PP. ſeraphicis illud ceſſerant. Imago B Mariae Virginis, quae hic in templo adſeruatur, prodigiis inclaruiſſe perhibetur.

8. Ambulatoriam ſupremi comitis dignitatem, ſumma cum laude tenet, CAROLVS L. B. SIGRAY de Felsö . Surány.

§. XI.

COMITATVS BARANYENSIS, Hungaris, Baranya-Vármegye, Germanis, die Baranier Geſpanſchaft, cui oppidum deſolatum iam, (*l*) cognomen communicauit.

1. Clauditur, a ſeptentrione, Tolnenſi ora; ab oriente, Danubio; Slauonia, a meridie, ab occidente, Simeghienſi prouincia. Poſitus; collinus hic, planiſſimus alibi, illi contigit.

2. Co-

(*l*) Vel Arx Baranya (Barona, Baranyavár) vetus, de qua anon. Belae not. c. 47. decr. anni 1478. art. 7.

2. Colonos maximam partem Hungaros accepit, intermixtis hic, et illic, Illyriis quoque; quorum hi plurimum mercatibus, quaestum faciunt. Accessit hic, non ita pridem, Germanorum quaedam colonia. Oppidis gaudet 8. pagis. 343. in quibus habitant Iudaeorum 200. propemodum, Christianorum 137670. In aerarium bellicum infert comitatus singulo anno 77149 fl: 20. xr.

3. Fertilitate, nulli regni prouinciae, secundus est comitatus hicce, quippe, et frugum feracissimus, et vini, si constantiam aestimaueris, vix postremi. Siluarum satis habet, vbi pecora multa sustentant incolae. Ferae quidem rariores haud sunt, sed, quod cuilibet permissa venatio est, non vbique obuiae.

4. Quatuor processibus definitur.

(a) *Quinqueecclesiensi*, qui vrbem eam circumsedit, laxo satis, et montano partim, partim depresso glabroque ambitu.

(b) *Siklosiensi*, cui arx, Siklos, de qua inferius, nomen dedit. Diffunditur eo comitatus tractu, qui ad Drauum fluuium accedit.

(c) *Baranyiensi*, ab arce cognomine denominato.

(d) *Transmontano*, ad Tolnensem comitatum accedente.

5. Duabus insidetur vrbibus. Sunt vero illae:

(a) *Quinqueecclesiae*, Hungaris, Péts, Germanis, Fünfkirchen, Slauis, Pet Kostoli, vrbs, propterea, ita appellata, quod totidem ei olim ecclesiae inerant. Malunt alii dicere, ita esse vocatam, quod quintus fuerit in numero eorum, quos S. Stephanus fundauerat, episcopatus Quinque-ecclesiensis, alii alias addunt denominationes. (*m*) Aetate S.

 hu-

(*m*) Szegedi in decretis, et vitis regum Hungariae, qui Transyluaniam possederunt p. 244. seqq. ostendit ex historia conversionis Boioariorum, et Carentanorum, Quinqueecclesiensem vrbem, iam medio saeculo nono floruisse.

huius regis, Pente vocatam esse, accepimus. Sedem praebet episcopo, et capitulo, haud inamoenam. Fundauit hic, et pro publicis vsibus aperuit, instructissimam bibliothecam, Georgius Klimo episcopus, anno 1777. fatis interceptus. Addidit pontifex eruditus typographiam, et molam, in qua papyrus paratur. (*n*)

(b)

(*n*) Duris, sub Turcarum imperio premebatur fatis, adeo, vt ora, quasi destructa, ad nostros, sub Leopoldo imperatore rediret. Recuperarunt eam christiani anno 1686. Nunc tamen restaurata est iterum. Hungari olim, vt vrbis copiam, seu frequentiam indigitarent, hoc vtebantur prouerbio: NémetnekBéts, Magyarnak Péts, i. e. Germanus, Viennam (Béts enim Viennam Hungaris significat), Hungarus, Quinqueecclesias habeat. Vnde, de pristina eius celebritate, et flore, poteris colligere Positum eius veterem, describit Istuanffius p. 261. Episcopos habebat complures, qui, vti ipsi in litteris excellebant, ita easdem etiam amabant, alebantque munifici, quos inter inprimis notari merentur, Calanus, Janus Pannonius, poeta saec. XV. celeberrimus, Andreas Dudichius, Sbardelatus alias dictus, qui tamen saec. XVI. sacra Romano Catholica deseruit, et, primum in Poloniam, mox in Morauiam et Silesiam concessit, Vratislauiaeque est mortuus. Pallium, ornamentum archiepiscopale, quod episcopus Quinqueecclesiensis habet, primus Roma acceperat, Calanus episcopus saec. XIII. Praerogativa hac successores in pontificatu non sunt vsi, donec Georgius Klimo 1754. die 1. Septemb. Roma impetraret diploma, quo eadem, sibi, et omnibus, qui post sua fata episcopi Quinqueecclesiensis prouinciam sunt consecuturi, collata est. Habebat quoque vrbs haec academiam, quam Ludov. I. rex anno 1364. posuerat, et Vrbanus Pontifex confirmauerat. Bis mille, et aliquot iuuenes, quamdiu res erant integrae, studiis hic operabantur, dicunturque 300. ciuium academicorum, in fatali praelio illo, apud Mohátz, anno 1526. gloriose occubuisse. Istuanffius vero Lib. XV. p. 261. scribit, paucis ante fatale hoc bellum annis, minimum 2000. iuuenum ibi studiis operatos esse. Nonnulli quoque eruditorum hic degebant, qui, ad sodalitatem literariam, quae initio saeculi XVI. in Hungaria prostabat, pertinebant. Arx, quae, retrusa iam aetate, sedem episcopis praebebat, posita erat in radicibus ardui montis Metscheri, quam Franc. Nesselrode loci Pontifex, in integrum posuit. Habebant Quinqueecclesiis, prisca aetate, do-

(b) *Pécs-Váradya*, Pécs-Warad, diues praepositura, quamuis vrbe priori, et minor, et incultior, ad Danubium recedit. Dicitur ortum, cunabulaque sua, ad annum 1007. referre, quo hic abbatiam pro Benedictinis monachis fundasse perhibetur.

6. Arx *Siklos*, Soklos, si quae sunt aliae, potissimum memoranda venit. Munita satis est, captiuitate imperatoris, et regis Sigismundi, insignis. Praerupto monti imposita, multum iam a decore pristino remisit, quem tamen iterum, ex parte, sub dominatione S. R. I. principis Caroli Batthyani recepit.

In processu Baranyiensi:

(a) *Boly.*

(b) *Mohács*, non longe a Danubii ripa, prope quod Ludouicus II. rex, clade funesta, anno 1526. adfectus, torrente paludoso ad vicum Czelie, equo lapsus, miserabiliter vita priuatus est. Anno 1687. Christiani, barbaro magnam stragem hic intulerunt. Positum Mohacsii, Nicol. Istuanf. hist. Lib. VIII. exponit.

(c) *Szekcso.*

In processu Siklossiensi:

(a) *Darda*, seu Tarda, Hungaros alit, rei pecuariae maxime intentos, saeculo superiori pontis Eszekiensis defendendi ergo, communitum est.

(b) *Siklos*, oppidum, ad arcem cognomine hoc insignitam.

---

micilia, praedicatorum, Benedictin. Paullinorum sodales. Hodie PP. Seraphici, Paullini, Capucini, Dominicanique vrbem incolunt. Publicum quoque tabularium in ea deprehenditur, et conuentus publici ibi celebrantur. Iesuitas Georg. Szecsényi illuc an. 1694 deduxerat. Sepultus est Quinqueecclesiis, Petrus rex Hungariae, in aede sacra d. Petri, quam fundauerat. Turocz in chron. P. II. cap. 41.

In proceſſu Quinqueeccleſienſi:

(c) *Magyar - Petsvárad*, ad arcem cognominem. Dantur quoque Németh, ac Ratz-Pecsvárad, oppida. Neque praetereundi ſunt

(d) *Harſan*, mons memorabilis, illique vicinus Nadasd pagus, in quo epiſcopus Quinqueeccleſienſis caſtellum habet amoenum, in quod, dum animum à curis leuare vult, ſecedere ſolet.

(e) *Patacs*, vicus in cuius ſiluis Paulli eremitae ſodales primum manaſterium in regno, ex Bartholomaei Quinqueeccleſienſis epiſcopi liberalitate, anno 1275. acceperant. Quaerunt hic nonnulli veterum arcem Saroſpatakienſem.

(f) *Aſzonfalva*, in quo caſtellum proſtabat Pauli Iſtvanffii, patris Stephani Iſtvanffii viri hiſtoria Hungariæ conſcripta et honoribus illuſtris, hic 1538. in lucem editi.

8. Supremi comitis dignitas collata eſt anno 1777. comiti PAVLLO FESTETICS de Tolna, Excelſae Camerae Hungarico-Aulicae Vice-Praeſidi.

Haec de Hungaria Trans-Danubiana.

MEMBRVM III.

DE

HVNGARIA CIS-TIBISCANA.

Huius nomine eam regionem comprehendimus, quae, inde a Carpato maxime septentrionali, Cis-Tibiscum, ad accessum eius, vsque in Danubium, late patet. Olim pars erat regionis, quae Jazygum Metanestarum vocabatur. Adnumerantur ei comitatus sequentes.

§. I.

COMITATVS SCEPVSIENSIS, Hungaris, Szepes-Vármegye, Germanis, die Zipser Gespanschaft, ab arce denominationem mutuauit. (*a*)

1. Amplus est comitatus, totusque fere montanus. Terminatur ad orientem, Sárosiensi, et quadamtenus Abaujvariensi; Liptouiensi ad occidentem; ad meridiem denique Gömöriensi comitatibus. Ea pars, quae ad septentrionem recedit, regni Galliciae limitanea est. (b)

M 4 Vo-

(*a*) Gaudebat quoque interdum ducatus titulo. Colomannus Belae IV. regis frater, Elisabetha Ladislai Cumani mater, et Stephanus Ludouici I. regis frater, vtebantur titulo ducis de Scepus. Celeb. Carol. Wagner in analectis Scepusiensibus P. I. pag. 27.

(*b*) Saeculo XV. tenebant maiorem comitatus partem, comites de Zápolya, alias Déak dicti, his exstinctis, Thurzones, et post hos, illustris Csakiana gens, hoc in comitatu primas tenere coepit. Laszkyii Saec. XV. et, post hos, Tökelyii, superiori saeculo, notabilem eius partem possidebant.

Vocabatur alias comitatus hic, vel potius pars illa, quam Germani incolebant, terra, prouincia Scepusiensis. Saec. XIII. Petrus aurifaber vice-comes erat, et castellanus Scepusiensis. Carol. Wagner l. cit. P. I, p. 131 Saec. XV. Ioannes Stock physicus, praepositi simul Scepusiensis honoribus functus est. Celebrauit is anno 1460. Synodum Leutschouiae, cum clero Scepusiensi. Carolus Peterfy in conciliis sacris regni Hungariae. P. I. p. 181.

2. Incolunt regionem Germani, Slaui, Hungari, quin et Rutheni nonnulli, laborum plerique patientissimi. Neque facile horum queni quam ignauiae se dedisse conspicias. Loca, praeter ea, quae a Polonis anno 1772. sunt recepta, habet 157, oppida nimirum 10., pagos 147., liberas ac regias vrbes duas, in quibus 83920. animae deprehenduntur christianae, exceptis 500. Judaeis. Praeter vrbes, ac 16 oppida peculiarem prouinciolam constituentia, soluunt incolae in regium aerarium quotannis 64750 fl. 20 xr.

3. Montes altissimi comitatum occupant, quasi integrum. Praecipuorum haec sunt nomina. a) Carpatus, qui iugis hic altissimis adtollitur. b) Bubulus Germanis, der Ochsenberg, Slauis, Wolowecz. c) Regius, Slauis, Kralowá Hora, Germanis, Königsberg, syluae etiam versus Galliciam vastissimae, fluuiique frequentiores. prouinciae insunt. Saluber adhaec, et aër ei est, et solum plerisque in locis, segetum, hordei inprimis feracissimum. Bacho certe inimica est regio; siue, quod montium iuga, vini impediant cultum; siue quod segeti magis, quam viti, operentur incolae. Cereri tamen fauet. Vini Zemplinienfis copiam habet, et quaestum eodem exercet. Abundat quoque praestantissimis piscibus, ita quidem, vt timallos, trutas, salmones, immo et anguillas, cum alii fluuii, tum in primis Popradus

dus alat. Id memoratu dignissimum est, hanc, prae reliquis, prouinciam, multa habere, et curiosa naturae, et peculiaria. Vide prodromum Matthiae Belii. (c)

3. In tres processus distincta est regio. Sunt autem:

(a) *Processus primus*, qui late in septentrionem, ad montem Carpatum protenditur: vbi Galliciae, vt hodie vocatur, demum confiniis proximus accedit.

(b) *Processus secundus*, ad Gömöriensium vsque fines procurrit, frequentibus coloniis inhabitatus.

(c) *Processus tertius*, et hic amplus satis est, Sarosiensi, et Abaujvariensi comitatibus limitaneus.

5. Liberas regiasque ciuitates duas habet Scepusium. In his:

(a) *Leutschouia*, Hungaris, Lötse, Germanis, Leutschau, Slauis, Lewoča, a specula ibidem, vbi iam vrbs resedit, inde a clade tartarica, anno 1241. residua, Leutschau, i. e. hominum spectatio, et obseruatio, vnde fugientes, hostem praetereuntem viderent, adpellata. Positum natura accepit satis amoenum. (*d*). Colli enim insedit, validis praestructa moenibus. Forum habet capacissimum, et elegantissimum. In praecipuis eius ornamentis, S. Iacobi basilica foro imposita, antequam incendio foedaretur, ponebatur. Suburbiis tamen caret, et necessaria, tam copiosae vrbi, aquarum copia. Incendium duplex, alterum anno 1749.

 exci-

(c) Fluuios comitatus Scepusiensis eleganter exponit Samuel Timon in notione Tibisci p. 27. seq. Duo illorum, et quidem, maiores, versus septentrionem recedunt, et Popradum quidem Dunaueiz, apud Sandecum recipit, hunc vero Vistula iterum, supra Cracouiam.

(*d*) Insignia vrbis huius Ferdinandus I. anno 1550. firmauit peculiari diplomate, quod Carolus Wagner P. I. p. 92. analectis suis inseruit.

excitatum, alterum vero anno 1752. fequutum, totam vrbem, aliquot fi excipias domos, abfumferat: prius quidem eo funeftius effe videbatur, quod turres, templa, et omnem fere ornatum magnificum, inprimis typos Breuerianos elegantes, corruperit. Senatores eius olim, quoties in curiam abibant, more Saxonum, ornabant fe pallio, eoque tunicas integebant, quem morem non pridem fecerunt miffum. Idem inftitutum Barthfenfes fequebantur. Patres foc. Iefu, hanc in vrbem, adduxit archiepifcopus Georgius Szelepcsény, eius vero fucceffor Georgius Széchenyi, conuictum pubis equeftris ordinis educandae cauffa, ibi pofuit. Habent quoque Leutfchouiae, aedem facram, et clauftrum, minores Seraphici patris focii, qui nunc in gymnafio ftudia tradunt. Pifa Leutfchouienfium, omnibus, quae tellus Vngarica profert, palmam praeripiunt. (e) Euangelici hic in fuburbio oratorium, et fcholas habent.

(b) *Kesmarkinum*, Hungaris, Késmark, Caefareo-forum, Germanis, Käsmark, Slauis, Kežmarek, nonnullis Kaisersmark, (f) duobus Leutfchouia milliaribus recedit. Ex tribus vicis coaluiffe vrbem, certum eft. Iucundus ei ceteroquin adfpectus contigit. Nam, et complures ad eam fluuii, Poprad nempe, Leibitz, et Albula, accedunt, et Carpati montis iuga, niuibus obtecta, perpetuo ei aduoluuntur. Curiam non inelegantem habet, turri exornatam, quae tamen iam cum incendio fatali 1779. 20ma. Februarii orto peffi-

(e) Vide prodromum Matth. Belii in defcript. vrbis Leutfchouienfis p. 81. §. 1.

(f) In priuilegio anni 1348. forum cafeorum vocatur, apud Carol. Wagner. P. I analect. Scepuf. p. 320. Philippus Callimach. de rebus Wladislai (apud Schwandtner in fcript. rerum Hung. Tomo II. Lib. I. pag. 455.) illud Chesmarkum vocat.

pessime fuerit adfecta, reparatur. Moenia certe ei vetusti sunt operis, et ruinae vicina. Ludovico I. et Sigismundo, apud Hungaros regnantibus, proceres Hungarici, atque Polonici, immo ipsi reges, Sigismundus, et Vladislaus Jagello, hic conueniebant, et, de pace foederibusque firmandis, consilia conferebant. (*g*). Axioma liberae regiaeque vrbis, prisca iam aetate, consecuta, et in primis a Sigismundo, et Matthia I. immunitatibus multis aucta est, (*h*) quibus tamen, cum Hieronymi Laskyii, tum in primis Tökeliorum avaritia, magna ex parte, priuata erat, donec Ferdinandus III. anno 1655. iterum, eam, inter liberas regiasque vrbes reponeret. Ciues Leutschouienses non minus, quam Kesmarkienses, Germani sunt, pauci Slaui. (*i*) Euangelici in suburbio elegans oratorium, et scholas habent.

6. Arcibus insidebatur olim pluribus, quae haec sortitae sunt nomina.

(a) *Arx Scepusiensis*, Slauis, **Spisky Zamek**, Hungaris, Szepes-Vár, Germanis, **Zipserhaus**, altam rupem occupat, difficilis hinc, illinc facilioris adi-

(*g*) Bela IV. elegantes vrbi huic immunitates anno 1269. concesserat, in priuil. apud Wagner, P. I. pag. 48.

(*h*) Wladislaus I. rex Hungariae, et Poloniae, vrbi huic primum, inter XXIV. ciuitates Scepusii locum concedere volebat. Carolus Wagner. in analect. Scepusii T. I. pag. 222. Vsum cerae rubrae prius, quam aliae multae vrbes regiae, a Matthia I. ann. 1463. est consecuta, Wagner loc. cit p. 66.

(*i*) Saeculo superiori hic florebat, Dauid Frölich, celebris mathematicus, qui libros etiam aliquot edidit, inter quos primas tenet eius medulla geographiae practicae, tygis Bartphensibus, anno 1639. impressa.

aditus. (k) E regione illius capitulum est, aeque monti impositum, moeniisque, cum domibus aliquot incinctum. Oppidum Varallya est illi vicinum. Praebebat capitulum sedem vni episcopo Iacobo, quem, Andrea III. imperium tenente, Scepusienses habebant. Conditor capituli, alias antiquissimi, quod, praeter praepositum, decem canonicos habet, necdum detegi poterat. Capitulum hoc S. Martini de Scepus esse dicitur. (l) Arx vero Scepusiensis iuris nunc est Csakyani, ideo adhuc notanda, quod in eadem, Ioannes de Zápolya, post cladem Moháchianam, a nonnullis in regem Hungariae electus, sit in lucem editus.

(b) *Kesmarkiensis*, orientem solem respicit, quam cum possideret Tökelius, munitam satis ornatamque tuebatur. Duplici muro circumdata est, quinque turriculis eleganter eductis. Nunc postea quam emtionis iure ad Késmarkienses rediisset, vmbram modo praeteriti decoris refert, et in ruinis est.

(c)

(k) Arcem Scepusiensem cum dynastia ad eandem spectante, saec. XV. et XVI. Zapolyii habebant, anno 1531. iuris Thurzoniani est facta, anno 1638. comes Stephanus Csaky, eandem, sibi, et genti suae adseruit. Wagner. in analect. Scepus. P. II. pag. 25.

(l) De origine capituli huius disputat Steph. Kaprinay in hist. diplom. P. II. p. 187. Anno 1776. Maria Theresia, hic episcopatum fundauit, et dynastiam Csaunikiensem eidem titulo dotis adsignauit. Obtigit vero episcopatus hic, CAROLO SZALBEK, insignis S. Stephani ordinis equiti. Habebant hic Iesuitae domicilium, et scholas. In monte arci Scepusiensi vicino, specus est, ex quo, hiberno tempore, calida, aestate, frigida aqua defluit. Glacies, quae inde adfertur, ad potiones refrigerantes adhiberi potest. Verneher, de admirandis Hung. aquis p. 854.

(c) *Dunauetz*, a praeterlabente fluuio id nominis accepit. (m) Praecipitio, inaedificauere eam primi conditores, adeo quidem; vt nonnisi difficillime adiri queat. Iam properat ad ruinam, obiecta est eidem, ex aduerso, arx Schorstein. Erat Dunavetz olim, vt cumplures aliae, iuris Zapolyiani, postea eandem, Ioannes de Zapolya Hieronymo Lafzkyo contulerat, iam, ad inclutam gentem, Palocsaianam, liberorum baronum spectat.

(d) *Lublyo*, Lublyau, Lubowna, Lublouia. (n)

(e) *Podolinum*, Podlinum, Pudlein, Podolinetz. (o) Tenuiores ambo, iucundo tamen situ. Illam Popradus, hanc Albula adluit. Vtramque, titulo pignoris, Poloni, ab anno 1412. vsque ad annum 1772. tenebant. Oppidum Lublyó castro adsidens, amplum frequensque est. Podolin vero oppidum, ludum habet, quem Leopoldo regnante, patres piarum scholarum aperuerunt, quos, indulgente eodem imperatore, Lubomirskyi eo deduxerant. Est quoque eleganti bibliotheca instructum, quae libris ad historiam Poloniae pertinentibus, est referta. Vtraque vrbs, sub Polonico imperio, multum defecit.

7. Castella plura meminimus. Nobiliora haec sunt:

(a) *Batisfalvense*, duplex, terminis Liptouiensium propius adiacens, estque ditionis Mariassianae

(b)

(m) Vocatur alias Nedecia (Nedetz). Timon in notione Tibisci p. 61.

(n) In litteris publicis Sigismundi anno 1403. euulgatis, et corpori iuris Hungarici Tom. I. pag. 175. §. 9. insertis, Liblyo vocatur.

(o) Podolin, in litteris Sigismundi laudatis. Sigismundus ciuitatem hanc, anno 1412. inter liberas regiasque retulerat. Wagner. l. cit. p. 112.

(b) *Nebrense*, siue Straskaiense, infra Kesmarkinum, quod Horvath Stansithii de Gradetz tenent.

(c) *Toportzense*, Görgeyiorum habitatio. Gens Görgeiorum nobilitate generis incluta, ab Arnoldo, de Garga, qui anno 1270. comes Saxonum Scepusiensium fuerat, natales suos deriuat.

(d) *Landokense*, sub Carpati radicibus, libero baroni Horvath Palotsai obnoxium.

(e) *Fridmanense*, comitum Barkoczyorum possessio, ob defluentem iuxta amniculum iucunda.

(f) *Kakas-Lomnitzense*, anno 1760. exstructum.

(g) *Markusfaluae*, prope Iglouiam, sunt complura. (*p*)

8. Iam, et oppida recenseamus, quorum tamen, quia plura sunt, a XIII. illis, quae Polonis oppignorata erant, ordiemur. (*q*)

(a) *Bela*, Hungaris et Slauis, adaeque Bela, Carpatho subiectum, medio milliari Kesmarkino, ad ortum reiectum.

(b) *Laibitz*, Hungaris, Leibitz, Slauis, Lubitza tenet primum locum inter 16. oppida regalia, quae ab anno 1773. peculiarem prouinciam constituunt. Est Kesmarkino versus meridiem vix 1000. passibus reiectum.

(c) *Menhard*, Germanis, Menhardsdorf, Slauis, Werbowo, a priore, monticulo dirimitur.

(d) *Durandi villa*, Germanis, Durlsdorf, Slauis, Twarozna, anno 1775. d. 1. Martii, incendio totum absumtum.

(e) *Ruszkinotz*, Germanis, Rißdorf, Slauis, Ruskowcze, nimium, inter oppida 16. in regione montosa.

(f)

(*p*) Familia Mariassiana, apud Scepusienses, iam saec. XIV. celebris fuit. Wagner, l. cit. p. 126.

(*q*) Anno 1772. a Polonis recepta, cum Lublyo, Podolin, Gnasna, atque dynastia Lublyoniensi in peculiarem prouinciolam, quam administrator cum sociis regit, redacta sunt.

(f) *Varallium*, Hungaris, Szepes-Varallya, Slauis, Podhrad, Germanis, Kirchdorf, oppidum elegans, ad arcem Scepusiensem reiectum, et capitulo Scepusiensi adhuc vicinius. Habet fratres misericordiae.

(g) *Olasium*, siue villa Italica, Germanis, Wallendorf, Slauis, Wlaska.

(h) *Iglouia*, aliquibus Neocomium, Germanis, Neudorf, Slauis, Nowa Wes, quod maximum et populosissimum est, inter 16. oppida. Positum est, ad amnem Hernad, et agrum frumentarium habet. Eruit quoque, ex venis terrae, cum fructu, aes cyprium et ferrum. (r) Administrator hic, cum sociis, conuentus solet celebrare.

(i) *Popradum*, Germanis, Deutschendorf, Slauis, Poprad, versus Liptouienses reiectum, iura nundinarum 1774. accepit.

(k) *Michaelis villa*, Germanis, Michelsdorf, Slauis, Straza.

(l) *Mons Georgii*, Germanis, Georgenberg, Hungaris, Szombathely, Slauis - Spiska Sobota, anno 1775. d. 2. Maii flammis totum, si domunculas admodum paucas excipias, ad incitas redactum.

(m) *Fülka*, (Fölka) Germanis, Folk, Slauis, Welka, versus Carpatum, et Liptouienses reiectum.

(n) *Matthaei villa*, seu Mathejotz, Germanis, Matzdorf, Slauis, Matejowcze.

Notari adhuc merentur:

(a) *Knesen*, Gnasdno, Gnasna, oppidum tenue, inter Podolinum et Lublyouiam, quod, cum duobus his oppidis, pagis aliquot, et XIII. oppidis

---

(r) Priuilegia, oppidi huius coronalis regii confirmauit priuilegio egregio, Sigismund. Imp. et R. H. 1415. quod deprehendes apud Wagner. in analect. Scepus. P. I. p. 219. Metalla saec. XIV. iam eruebat.

dis Polonis, anno 1412. titulo pignoris datum, anno vero 1772. ab illis receptum fuerat.

(b) Abrahamsdorf, Abrahamfalva, vicus notabilis, facileque primus, inter ſedis ſuperioris, ſeu decem lanceatorum oppida quatuor et decem. Solebant namque olim, qui eadem incolebant, latus regis, lancea, in praelio ſtipare, amplisque propterea, aucti erant libertatibus. Habent illi, hucdum peculiarem vice-comitem, et reliquos magiſtratus, ſolentque peculiares conuentus, ſeu congregationes, celebrare. (s)

(c) Bethelsdorf, Bethlemfalva, vicus ad ſedem lanceatorum ſpectans, a quo incluta gens Thurzonum, acceperat titulos.

(d) Donnersmark, Tſötörtökhely, Quintoforum, S. Ladislai fanum, oppidum natalibus comitum ab Henckl clarum. Praebebat quoque, olim ſedem Scepuſienſi camerae regiae, quae demum Caſſoviam translata, et anno 1774. penitus ſublata eſt. Minores Franciſci Seraphici ſocii hic habent domicilium.

(e)

(s) Celebres erant ſaec.. XIV. et XV. viginti et quatuor regales vrbes, apud Scepuſienſes, ad quas, praeter XIII. haec oppida, Polonis anno 1412. pignoris titulo data, vndecim alia, quae nunc iuris ſunt Cſaktyani, pertinebant. Caeterum, probe notandum eſt, XXIV. regales ciuitates, duplicis olim fuiſſe ordinis, alias eccleſiaſticas, alias ciuiles. Eccleſia, inter illas retulerat, Leutſchouiam, Olaſzinum, Várallyam, Igloulam, Leibitzium, Belam, Menhardi villam, Popradum, Monte Georgium, Folkam, Nagy Lomnitz, Iſaakfalvam, Durandivillam, Hunnisvillam, Compoſitanam, Quintoforum, Sperarum, Palmenſem, Odorienſem, Svabocenſem, Müllenbachenſem, Ruſquinenſem, Velbachienſem, et Quirinenſem, villas. Ciuilis ordinis viri, loco Lomnicienſis, Hunnis villanae, Svabocenſis villarum; Michaelis villam, Nagy Szálok, et Schmegen adſumebant. Vide nouullam Danielis Kleſch, quam catalogo presbyterorum Scepuſienſium fraternitatis paſtorum 24. regalium, Bartphae 1670. euulgato, ſubiecit.

(e) *Schmölnitz*, Szomolnok (*t*) oppidum montanum, tum ob aes cyprium, quod hic eruitur, tum ob aquam vitriolicam, quae, ferro absumto, cuprum aggerit, nobile. (*u*) Est in limite Gömöriensium, & a regio fisco possidetur.

(f) *Gölnitz*, Gölnitzium, oppidum venis ferri praestans, & inter 13. oppida Csakyani iuris primum.

(g) Einsiedel, Remete, oppidum metallicum, prouentu ferri diues; adcensetur 13. oppidis, quae ad dominationem illustris gentis Csakyanae, apud Scepusienses, pertinent.

(h) *Schvedler*, &

(i) *Stoss*, duo oppida metallica, ampla, inter arduos montes, versus Abaujuariensem comitatum reiecta.

No-

(*t*) Olaho, Smilnicia, Vernehero. Smolnicia, Ludouicus I. eam Szomolnokbanyam vocauit in diplomate apud Wagner l. cit. P. I. pag. 210.

(*u*) Describit rem breuiter, sed eleganter Verneher. de admirandis Hungariae aquis p. 853. Cuditur hic pecunia, ex aere cyprio, ab anno 1769. Metalla vero iam saeculo XV. eruebantur. Possidebant oppidum Thurzones, iis vero exstinctis, comites Franciscus, & Stephanus Csaky illud consecuti sunt. Prior partes Tökölyanas, Leopoldo imperante, sequebatur, & propterea pars eius ad fiscum regium rediit. Anno 1690. cessit Stephanus Csaky oppidum hoc regi, cum duobus metallicis oppidis vicinis, Stoss scilicet, et Schvedler. Accepit vero, loco illorum alios pagos, & bona in Scepusiensi comitatu. Habet Szomolnokinum ab anno 1748. praefecturam metallicam, quae, ex praefecto seu administratore, inspectore, & aliquot adsessoribus constat. Horum potestas se extendit ad fodinas, quae sunt in territoriis oppidorum Szomolnok, Schvedler, Remete, Gölnitz Krumbach, Stoss, Vagendrüssel, Iglo, seu Neudorf, & Olaszinum apud Scepusienses; Metzenseif, & Jassovia, in comitatu Abaujuariensi; Rosnau, & Topschau, in Gömöriensi prouincia. Plura deprehendes apud Ignatium de Born, in seinen Briefen über mineralische Gegenstände (Frankfurt und Leipzig) 1774. p. 168. seq.

Notari adhuc merentur:

(a) *Schavnik*, (Csavnik) Cistercienſium abbatia de Candelis. (*x*)

(b) *Lapidis* refugii monaſterium in monte Lethon. (*y*)

(c) *Lechnitz*, (Leknitz) cum proximo coenobio, quod vulgo clauſtrum rubrum (Rothenkloſter) vocatur, olim Carthuſianorum, iam Camaldulenſium, verſus Neoforum. (*z*)

Sequentes quoque abbatiae olim apud Scepuſienſes florebant.

(a) Abbatia Ciſtercienſis de *Caſa Noua*, quae 1150. fundata eſſe creditur. (*a*)

(b) B. Mariae Virginis de *Stobla*, coenobium ordinis Benedictinorum (*b*) prope Batisfaluam, cuius rudera adhuc viſuntur.

(b)

(*x*) Deuenerat abbatia ſeu dynaſtia haec, anno 1529. in poteſtatem Hieronymi Lasky. Albertus Lasky illam Rubero vendiderat, hic Sebaſtiano Tökely. Proſcripto Emerico Tökely, Georgius Széchényi archiepiſcopus illam a Leopoldo acceperat, & anno 1692. Agrienſibus Jeſuitis, indulgente Leopoldo, donauerat. Anno 1762. ſtatutione, vt loquimur, regia, ius ſuum Jeſuitae in amoeniſſima fertiliſſimaque dynaſtia Csavnikienſi, firmare volebant. Epiſcopatus apud Scepuſienſes anno 1776. fundatus, dynaſtiam hanc, titulo dotis, ex liberalitate auguſtae reginae, conſequebatur.

(*y*) Intra Csavnik, et Leutſchouiam, fuit munimentum, & qui anno 1242. illuc profugerant, crudeles manus Tartarorum, Hungariam vaſtantium, effugerant. Anno 1543. dirutum eſt, et, fundi ad illud ſpectantes, praepoſito et capitulo Scepuſienſi, a Ferdinando I. collati. Carolus Wagner in analect. Scepuſienſibus P. I. p. 436.

(*z*) Olim pertinebat, ad Letanſaluenſe monaſterium Carthuſianorum, quibus illud Kokos Berzeviczi anno 1319. donauerat.

(*a*) Ladisl. Turotz. in Hung. ſua p. 243.

(*b*) Saec. XIV. fundatum fuit. Wagner in analect. Scepuſ. P. I p. 401.

(c) Praepositura b. Mariae Virginis de *Landek*, in pago, vno fere milliari, versus ortum, ad Carpatum reiecto, vbi baro Horuath Palocsai castellum habet. (c)
(d) Abbatia de *Dravetz*, in pago huius nominis.
(e) Abbatia de Hunnsdorf, seu Hunnis villa prope Kesmarkinum.

Habebant quoque cruciferi conuentum peculiarem apud Scepusienses, ad quem pagi nonnulli spectabant. (*d*)

9. Sed nec fontes acidi, thermaeque desunt. Illi enim frequentiores passim scatent; hae, ad Leibicium, Rusbachium (a riui murmure sic denominato) (*dd*), ac capitulum Scepusiense, Baldocenses. Sunt quoque lapidescentes aquae apud Scepusienses, quas Verneher. p. 853. seq. adtigit. Carpatus vero herbas praestantes, lapides pretiosos, et mineras, in copia habet.

10. Perpetuus et supremus comes nunc est, comes IOANNES CSAKY de Kereſztſzeg. Conuentus, publici, Leutschouiae, vbi et comitatus tabularium adseruatur, rarius Kesmarkini celebrantur.

N 2 §. II.

(*c*) Praepositus Miechniensis ordinis cruciferorum S. sepulchri Hierosolymitani, acceperat Landek, loco Komlos, anno 1311. lege permutationis. Diploma prostat apud Carol. Wag. in analectis. Scepus. P. I. 398. p. seq.

(*d*) Vocabantur cruciferi ordinis Antonii de Darotz (Darouch) suumque priorem habebant, quibus competebat cura pauperum, quos in aedibus peculiaribus, hospitalia vocatis, alebant Wagn. l. cit. pag. 112.

(*dd*) Has anno 1777. interiisse, vel a fluuio vicino illuc deriuato, corruptas esse narratur. De praestantia illarum Verneher. pag. 853. sequent.

§. II.

COMITATVS SAROSIENSIS, Hungaris Sáros-Vármegye, Germanis, die Scharoscher Gespanschaft, ab arce deserta Sáros, vel Sárus sic denominatus. (e)

1. Ad Scepussiensium fines procurrit, in occidentem, septentrionali latere, altissimo Carpato, a Gallicia diremtus. Quae in orientem abeunt, Zempliniensem prouinciam; Abaujuariensem, quae in meridiem; adtingunt. In asperioribus Hungariae prouinciis comitatus habetur, quippe multis Carpati iugis horrescens.

2. Vrbes, Germani, oppida et vicos, Slaui incolunt et Russi. Qui posteriores, ritus Graeci, reduniti tamen Romano Catholicis, praedationibus nimium quantum dediti antea erant. Habet oppida 9. pagos 360. Tributa in aerarium bellicum, quae anno quouis mittuntur, ex oppidis et pagis faciunt 69227. fl. Animae in toto comitatu numerantur 8››18.

3. Qua montoso regio est, auena proficit, planitie vndique foecundissima. Id in prouinciae damnis habendum; quod ob immensam Carpati asperitatem, vino carere debeat, facile tamen illud ex vicino Zempliensi comitatu vilique pretio, emit; frugibus alioquin fructibusque sic datis abundans. (f)

4. Numerat processus quatuor, separatur ab his dominium Makouitzense. Sunt autem:

(a) *Sárosiensis*, seu occidentalis, id nominis ab arce Sáros sortitus, totus montibus obnoxius est.

(b) *Superior*, seu septentrionalis, altius in aquilonem vsque ad Galliciae limites, subductus est, nomen adeptus, ab ea plaga, in quam suberigitur, asper et hic montibus.

(c)

(e) Stephan. Ludouici I. frater regis, ducis Sárosiensis titulo vtebatur. Wagn. in analect. Scepus. P. I. p. 26.

(f) Fluuios Sárosienses exponit, Timon in notione Tibisci §. 8. p. 50. seq.

(c) *Inferior*, seu meridionalis, partem comitatus meridionalem tenet, eamque Abaujvariensi confinem.

(d) *Orientalis*, seu *Tápolyensis*, occupat oram prouinciae Zemplinensi contiguam: fit non raro, vt hi processus, tantum a iudicibus nobilium, qui illis sunt praefecti, denominentur.

5. Tribus excellit liberis regiisque ciuitatibus. Vt sunt:

(a) *Eperiesinum*, Hungaris, Eperies, Germanis, Eperies, Slauis, Pressow, elegans olim & frequens, quin celebre etiam emporium, Eperiesinum vocatur, a voce Hungarica Eper, quae fragum denotat, propterea etiam ab aliquibus, Fragopolis denominatur. (g) Praebet eadem sedem tribunali minori, seu tabulae districtus cis-Tibiscani ab anno 1723. Quae hodie in maximis commodis, vrbis ponuntur, nundinae sunt copiosae non minus quam illustres. Habet quoque hortos ad sub-

(g) Perhibent nonnulli, vrbem, initio dominos suos, qui comites Eperienses vocabantur, habuisse, postea, his exstinctis, vrbem circa annum 1400 iura liberarum regiarumque vrbium esse consecutam. Bonfin. decad I. lib. I. eam ad Abaujvariensem comitatum refert. Saeculo superiore inter opulentiores vrbes Hungaricas locum tenebat, & commerciis, quae, cum Polonis & Silesiis instituebat, rem suam iuuit egregrie. Cui, vt multas alias praeteream, praerogatiuas, ius stapulae, quod nos ius depositionis vocare solemus, concessum fuit. Munitum etiam fuerat, sic satis firmiter, quod tamen, quia saepius iam obsidione cinctum erat; multis hinc inde ruinis, quae iam quadam ex parte reparatae sunt, conspicuum fuit. Praeter templum, quod in collegio est; alterum in vrbe templum B. M. Virgini consecratum, quod Hungaricum olim dicebatur, etiam ad Jesuitas spectabat; tertium est Joannis baptistae, quod ad minoritas pertinet: quartum Franciscanorum. Notandum adhuc est, Joannem Albertum Polonum, ab Hungaricis copiis, quas Stephanus Zápolya ducebat, anno 1491. deuictum, hanc in vrbem se recepisse, & cum fratre Wladislao II. rege Hungariae, pacem facere coactum esse.

urbia amoenos, pomariaque variis arboribus referta. Nec desunt acidulæ, quae, ad sanitatem, seu reparandam, seu confirmandam, faciunt plurimum. PP. societatis Jesu, vrbem anno 1673. sunt ingressi quod, Ladislao Matiyasovszky, in acceptis referebant. Non longe hinc, ad Sóvárum, salis fodina est; vbi operarii salem, ob terrenarum particularum copiam, in aquis liquefaciunt, atque demum, vt alias solent, excoquunt. Habent augustanae confessioni addicti, in suburbio, oratorium, & gymnasium. Incolas numerat 5700, qui in aerarium regium singulo anno mittunt 6199 fl. 30 xr.

(b) *Bartfa*, Germanis Bartfeld, Slauis Bardiow, quatuor mille passibus, Eperiesino recedit in septentriones rigidos. Vrbs culta, montibus quasi Carpaticis insita est. Ciues, vino in confinem sibi Galliciam, atque Poloniam, mercatum olim cum fructu exercebant. Neque praetereundum est, pagos aliquos ad hanc ciuitatem spectare. Aerarium bellicum quotannis inde accipit 2755 fl. 20 xr. Affluit vrbs acidulis quoque, non copiosis modo, sed gustus etiam optimi. (*h*) Augustanae confessioni addicti oratorium & scholas hic habent.

(c) *Cibinium minus* Hung. Szebeny, Slauis, Sabinow, Germanis, Zeben, a Sabina Belae regis filia, nomen accepit. (*i*) Vrbecula exigui ambitus; at po

(*h*) Jura liberae, regiaeque vrbis, a Ludovico I. rege, circa annum 1379 accepisse dicitur. Carolus I. eam, vel condidit, vel auctiorem reddidit, Kaprinay histor. diplomaticae P. I. p. 157. Templum d. Aegidii iam anno 1221. ibi prostitisse fertur. Habet fratres Seraphicos, ad quos templum Joan. baptistae spectat. Deprehendebantur hic saeculis superioribus, cum multi alii eruditionis laude clari, tum in primis senatorii ordinis viri. Nec deerat typographia, quae demum Cassouiam est translata Bonfin. dec. I. Lib. I. Bartfam ad Scepusiensem retrudit comitatum. Tabularium quoque, multis antiquis diplomatibus refertum possidet.

(*i*) Timon & Kaprinay, eam Belae III. alii Belae IV. filiam faciunt. Kaprinay in histor dipl. P. II. p. 503.

positus in campis, iucundissimi. Inquilini sublimato vino, maximam partem quaestum exercent. Sunt in ea PP. piarum scholarum, Desöffiana liberalitate eo deducti, qui studia latina cum fructu docent. Augustanam confessionem profitentes, duo oratoria, cum schola triuiali, hic habent Aerarium bellicum ab vrbe hac quouis anno 1722 fl. 5 xr. percipit.

6. Arces hac regione insigniores sunt:

(a) *Mako*, illustre dominium, Makovitza aliis dictum. (*k*) Franciscus II. Rakotzy, qui eam tenebat, ducem se scribebat Makouitzensem.

(b) *Kapy* Kapivarinum, vetustae cognominis gentis arx. In oppido vicino, duo sunt non ineleganti castella Kapiana.

(c) *Palocsa*, ad limites Galliciae & Scepusii. Inhabitatur a barone Horvath Paloczay.

(d) *Tartza*, Tarisza, castellum in vico huius nominis, ad fluuium Tariszsza.

(e) *Sáros* arx & oppidum frequens, a quo prouincia accepit denominationem. Castrnm hoc Eperiesino vicinum, dicitur Belae II. regi, hospitium, per aliquot tempus praebuisse. (*l*)

(f) *Sebes*, Sebesinum oppidum mediocre, cum castello. (*m*)

(g) *Sóvár* Sóvárinum (Salisburgum) oppidum, puteis salis, & sale excocto, vel maxime memorandum. Hic aliqui inclutae gentis Sós natales quaerunt. (*n*)

N 4 (h)

(*k*) Initio saec. XVII. ad Rakotzios & Balassios spectabat. Pacific Vien. 1606. ad 12. art. § 14.

(*l*) Timon in notione Tibisci pag 54. Belam III. eam inhabitasse putat. Sed, tertium cum altero Bela confundere videtur. Erat olim celebris conuentu eremitarum S. Augustini Wagner in analect. Scepusien. P. I. p. 128.

(*m*) Habebat quoque, prisca aetate, arcem saeculo XVI. solo aequatam. Verneher. de admirandis Hungariae aquis p. 855.

(*n*) Fuerat hic olim etiam arx saec. XVI. diruta. Verneh. de admirandis Hung. aquis pag. 855.

(h) *Hannusiense* quoque, Pech-Ujuàriense, Tarkoiense, Berzeuitze, et alia castra, hic olim celebrabantur. (o)

7. Oppida, hinc inde, quamplurima obueniunt; potiore parte tamen tenuia. Praecipua in iis sunt:

(a) *Hetbars*, alias *Siebenlinden*, amplum oppidum iucundissimi prae ceteris positus, dominationem comitum Szirmay de Bessenye Szirma respiciens.

(b) *Somos*, iuris Dessöffiani.

(c) *Zborov*, vel tribus castellis exornatum, accedit proprius ad Carpatum.

(d) *Berzeuitze*, a quo incluta gens Berzeuitziana denominatur.

(e) *Palocsa*, versus Scepusium reiectum, a quo Palocsaiani veteres et recentiores.

(f) *Hunusfalua*, recedit versus orientem.

(g) *Gaboltha*, in ampla dynastia Makouiczensi, quae olim ad Rakoczios pertinebat.

8. Principibus Rakotzyis olim, hereditaria fuit, supremorum comitum dignitas. Nunc comitatus supremus comes est FRANCISCVS BATTHYANY. ConuentusProuinciales Eperiesini celebrantur, vbi tabularium publicum asseruatur.

§. III.

COMITATVS ZEMPLINIENSIS, Hungaris, Zemplén-Vármegye, Germanis, die Sempliner Gespanschaft, Slauis, Zemplinska Stolica, ab arce vetere, id nominis trahit. Ceterum:

1. Spatiosa prouincia est, solum autem longe diuersissimum. Quod enim in Carpato, vsque ad Galiciae confinia, porrigitur, asperum est, & pene infoecun-

---

(o) Tarkoiense castrum, erat saec. XV iuris Berzeviqziani. Olahus in Hungariae Lib. I, c. XI. §. 1. Kaprinay in histor. diplom. p. 52. & 209;

infoecundum. Vbi autem Tibiſcó accedit regio atque in meridiem, perpetuo fluuii margine fertur, paradiſo comparanda. Adeo, iucunda eſt, & fructifera, montibus conſpicua quam plurimis, quorum, & pro locorum vicinia, &, pro ſitu ſuo, varia ſunt cognomina. Ab oriente ergo, Vnghenſi; Szaboltſenſi, a meridie; ab occidente, Abaujuarienſi comitatui adfinis eſt. Pars quae in ſeptentrionem vergit, montes Carpaticos objectos habet.

2. Incolae, vaſta hac provincia ſunt diverſiſſimi. Hungari, Germanique, qui olim frequentiores regionem inhabitabant, in annos deficiunt. Slaui contra omnium ſunt copioſiſſimi; quod in dies, eo plures Arvenſes, Vandali, Ruſſi, ſeu Rutheni (Rutheni aliqui cum Hungaris ex Galicia in regnum hoc intrarunt,) Polonique demigrant. Deprehenduntur in comitatu hoc pagi 388. oppida. 22. ex quibus in aerarium bellicum anno ſingulo fl. 92303 xr. 40 proveniunt. Animae in tota prouincia deprehenduntur 149125.

3. Ferax, parte altera, comitatus frumenti eſt, & vini nobiliſſimi; altera, ob argilloſam ſabuloſamque materiam, ſterilis. Pecorum vim maximam incolae ſuſtentant, qui tamen, cum pecuariae rei induſtriam impendunt, negligunt agros tantae felicitatis. Ferarum ſummum defectum patitur regio, piſcium contra, tantam, apud Bodrogium habet copiam; vt, & porcis ſaginandis adhibeantur. Superbit enim fluminibus Hernado, Sajone, Bodrogo, & in primis Tibiſco. Bodrogus vero rivus principio tenuis, maioribus duobus Ondaua, & Latorcza permiſcetur, qui poſtea nomen ſuum perdunt, & Bodrog hos complexus fluuios, vix vltra quatuor defluit milliaria donec in Tibiſcum ſe, apud Tokainum, exoneret. (p)

 4. In

(p) Fluuios & rivos comitatus huius eleganter deſcriptos deprehendes apud Timon in not. Tib. §. 5. 7. p. 34. 45. ſeq.

4. In processus IV. diuisus est comitatus. Horum primus:

(A) *Superior*, Hungaris Hegyallya, omne id continet, quod montibus Tokayensibus subjectum, & in campestrem, versus Tibiscum, Hernadumque amnem protenditur, quoque Sajonis, atque Tibisci confluente terminatur.

(B) *Interamnensis*, seu insulanus, Hungaris, Bodrogköz, eam recipit regionem, quae intra Bodrogum & Tibiscum, in orientem excedit.

(C) *Vjbelyiensis*, alias Varanoviensis, ab amne Bodrogh, in septentriones abit, & finibus tandem Galliciae terminatur. Quia vero variis interstinguitur collibus, in quinque districtus minores dispescitur, & quidem in:

(a) *Vjbelyiensem*, qui ea, quae est in finibus Abaujuariensium valle quadam, montibus vtrinque intercluditur.

(b) *Zemplinienſem*, ab oppido is Zemplin, vsque ad oppidum aliud Galszecs, apertn & plana regione pergit.

(c) *Galszecsiensem*, qui ea resedit regione, vbi Galszecs, oppidum occupat, perpetua ad vicum Hermany planitie adparet.

(d *Varanoviensem*, qui, ad Varanoviense oppidum, capit exordia, & finibus Sárosiensium, varios colles & siluestres campos amplexus, terminatur.

(e) *Strpkoiensis*, eam ditionem complectitur, quae in finibus prouinciae Sárosiensis, regnique Galliciae in septentrionem excurrit.

(D) *Nagy-Mihalyiensem*, qui confluente Labortza exorsus, ad fines Galliciae, proximus accedit. In tres, itidem districtus, diuisum accepimus. In his sunt:

(a) *Nagy-Mihalyiensis*, qui in oppido Nagy Mihály capit initia, atque demum Vásárhelyini deficit.

(b)

(b) *Horiensis*, a tenui vico Hor, ad ditionem Stropkoviensem abit, collina partim, partim campestri positione

(c) *Hommonaiensis*. Constat is eo tractu, qui intra Stropkouiensem ditionem, & comitatum Vnghvár, vsque ad Galliciae fines, mox latior, mox angustior porrigitur.

5. Arces, quae frequentes olim, in hac prouincia visebantur, a *Zápolyis*, sub Ferdinando I. & Maximiliano II. dirutae sunt, plurimam partem. supersunt:

(a) *Conuentus Leleſz*, archiui comitatensis conditorium, quod ruinae iam proximum denuo instaurari debuerat. Oppidum Leleſz, conuentu, & praepositura S. crucis ordinis praemonstratensium antiqua, non incelebre in historia nomen est consecutum. (*q*)

(b) *Hommona*, natalibus antiquae, & diuitis gentis comitum Drugeth de Homonna, insignis, quae, saeculo praeterito, emortua est. Occupauit regionem amoenam, ad Labortzam amnem.

(c) *Stropko*, comitis Petheo, de Gerſe, commoda satis habitatio. Vltimus hac ex gente, anno 1765. vivere desiit. (*r*)

(d) *Csitsva* heredium Bathoriane gentis, qua exstincta, Homonnaiani, post hos, plurium iuris euasit. Obiectum, in aduersa, Csitsuensi castro, ripa,

---

(*q*) Occurrit eius crebra in decretis regni mentio. Fuerat diu alienis in manibus, donec Augustinus Benkovits Varadiensium episcopus, idem in pristinam reduceret dominationem. De ortu eius Kaprinay in histor. diplom P. II. p. 195. excutiendus erit. Non est vero confundendum cum pago cognomine, comitatus Heuesiensis, a quo nobiles de Leleſz denominati. Kaprinay l. cit. P. II. p. 224.

(*r*) Initio saec. XVI. fuit iuris Emeric. Prényi. Nicol. Istvanf. Lib. II. p. 18.

pa, castellum Tauarnense, ad inclutam gentem Barkoczyanam pertinet.

(e) *Borsi* ad *Vjbelyinum*, cum castello eleganti, in quo Rakoczyi saepe degebant.

(f) *Bottyan* pagus, in quo castellum est L. B. Senyei.

(g) *Kövesdia*, (Kövesd) arx deserta, prope Helmezium. (*s*)

(h) *Arx virginis*, (Leányvár), infra Tarkanum.

(i) *Barko*, arx. (*t*)

6. Ad oppida quod attinet, & multa nobilia aliqua sunt, & populosa. In his:

(a) *Sáros Patak*, libera olim regiaque ciuitas, Sigismundi temporibus, eo exuta charactere. Bodrogi ripae, tribus supra Tokainum, milliaribus, adsitum, collem habet vite consitum, prouentus, & copiosi, & nobilissimi. (*u*) Sunt in oppido duo gymnasia, alterum Romano-Catholicum, in quo patres societatis Jesu docebant, alterum Heluetícae confessioni addictorum. (*x*) Est quoque caput amplissimae dynastiae Sáros Patakiensis.

(b)

(*s*) Timon, in notione Tibisci pag. 36.

(*t*) Decretum anni 1625. art. 44.

(*u*) In vrbe hac, Elisabetha, Andreae II. gnata, in lucem edita esse perhibetur. Pray dissert. de Elisabetha vidua P. I. & Steph. Kaprin histor. dipl. P. II. p. 205.

(*x*) Patres societatis Jesu, huc, Sophia Bathory, mater Francisci I. Rakotzi adduxerat. Alit quoque patres Trinitarios. Antonio Palocsaio in campis Mohats anno 1526. oppresso, Petrus Perényi, ab inconstantia notus, arcem, cum dynastia Saros Patak, occupauit, quam ei mox Joannes Zapolyius contulit. Notandum tamen est, Dobonem, dynastiam hanc, a Perényio repetiisse, suique iuris facere voluisse. Istvanff. hist. Lib. XIX.

(b) *Toltsva*, in amoena valle, riuulo id interfluente, resedit. Ex vtraque parte, colles vitiferi adtolluntur, quorum fructus, nullis generosissimorum, cedunt quidquam.

(c) *Tallya*, oppidum elegans, locum occupat erectum, leniter accliuem, & qui sensim in orientem ascendit, desinitque in amoenos campos, colles, generosum vinum ferunt, & ad primam classem, gloriae submontane emergunt.

(d) *Mada*, oppidum submontanae ditionis haud postremum. Valli enim iucundae impositum est, vineis circumseptum, & frequentibus, & fructus optimi.

(e) Tartzal, radices montis Tokaiensis tenet, vino Tokaiensi saepius nobilius fundentes.

(f) *Tokainum*, ad confluentes Bodroghii & Tibisci amnem positum. Bodrog antequam huc perueniat, infra villam, Szurnyegh, Labortzam amnem recipit. Infra Imreg villam, Latortza in eundem se exonerat. Arcem habebat munitam, aqua circumcirca praeterlabente, tumultuante Rakotzio anno 1705. disiectam. (y) Hic ille locus est, qui nobilissimo per totam Europam Tokaiensi vino, nomen impertiuit; licet paucissima producant colles hi, oppido Tokaiensi adposi-

p. 376. Sepultus est in templo, quod hic fundauerat Petrus Perényi, non Terebesiensi in aede, vt aliqui existimant. In filio huius Gabriele, exstincta est vna linea gentis inclutae Perényianae. Saeculo superiore, dynastia Sárospatakiensis, ad dominationem Rakoczianam, proscripto vero Francisco II. Rakoczio, rediit ad coronam sacram. Collata demum fuit principi Trautsohn, iam tamen iterum ab anno 1775. quo, prole mascula nulla superstite relicta, viuere desiit, ad fiscum regium rediit. Arx olim egregie fuerat communita.

(y) Antiqua arx ante Belam IV. exstitisse creditur. Saec. XV. ad Georgium regulum Rasciae pertinebat. Kaprin. Hung. dipl. P. I. p. 156. Saeculo superiore, arcem, cum integra dynastia, principes Transiluaniae complures tenebant.

positi vina, quae Tokaiensia vocantur. Mons Mézes Málé, i. e. Honig-Seim dictus, praecipuam, prae reliquis, laudem meretur: quippe, quod dulce adeo, & pingue vinum suppeditat, quod imperatori regique exhibere consueuerunt. (z) Sunt hic PP. piarum scholarum & Capucini.

(g) *Krajna Vissi*, Vkrainia superior, tractus montosus, ad Carpatum reiectus, habet Ruthenos incolas, qui in hac ora a saeculo IX. se conseruarunt.

(h) *Vranovo, Vranovia*, (Varano, Arano) oppidum mediocre, cui duo castella decus conciliant. Praebet quoque domicilium Paulinis monachis.

(i) *Nagy Mihály*, Nagy Mihalyinum, oppidum peruetustae gentis comitum Staray, qui ad Vencellinum, S. Stephani regis ducem exercitus, genus referunt. Concedit oppidum genti huic titulum. (*a*)

(k) *Keresztur*, Keresztúrinum, Bodrog Keresztur, oppidum, quod agro frumentario, & montibus, nobile fundentibus vinum, superbit.

(l).

(z) Ante duo, & quod excurrit, saecula, Sirmiensia vina, omnibus reliquis, quae Hungaria proferebat, adeoque Tokaiensibus etiam, antecellebant. Post cladem Mohacsianam, Joannes Zapolya, Vajvoda Transiluaniae, comitiolum hic celebrauit, eoque rem perduxit, blandimentis, & pollicitationibus, vt proceres aliquot, qui aderant, Maria regina vidua, & palatino regni intercedentibus, se regem renunciarent. Procedente tempore, reges Hungariae, cum principibus Transiluaniae, ob Tokainum, vicinamque terram, bella saepius gerebant.

(a) Fuit familia Staraiana olim in complures ramos diuisa, quos Kaprinay in hist. diplom. P. II. p. 485. enumerat. Denominata vero est a vico Jsztara, vel Sztara, quem Ladislaus IV. rex Jaconi magistro pincernarum regalium, & Andreae fratri eius, ob nauatam egregiam operam, in bellis aduersus Ottocarum regem Bohemiae gestis, contulerat. Inde ramo familiae huius nomen Staray adhaesit. Timon in notitia Tibisci p. 48.

(l) *Terebes*, Terebesinum, oppidum mediocre, ad quod arcis rudera videas, quae, vna cum oppido, in meditullio comitatus posito, fuit antiquum gentis Perényiane heredium, (*b*)

(m) *Zemplin*, Zemplinum, castrum olim celebre, nunc oppidum, a quo comitatus accepit denominationem, ad fluuium Bodroghum. (*c*)

(n) *Szerdahely*, Szerdahelyinum, priori vicinum, castello gaudet eleganti. (*d*)

(o) *Vjhely* Sátor Vjhely, Vjhelyinum, oppidum cis Bodrogum, copiosum, oram occupauit amoenam, & vini praestantis feracem. Solent hoc in oppido conuentus prouinciales celebrari. Habet etiam Paulli eremitae sodales, ad aedem S. Aegidii, & quidem ab anno 1355.

(p) *Tárkány*, Tarkanyium, ad Tibisci ripam, castello gaudet.

(q) *Szerents*, Szerentsinum (*e*) oppidum, cum arce & castello, positus amoeni. Habebant hic olim seditiosi aliquot conuenticula.

(r) *Benye*, oppida submontana. Vina fundunt, quae virtute Tokaiensibus vix quidquam cedunt.

(s) *Király Helmetzinum*, in quo, saeculo superiori Emericus Thurzo, regio fere adparatu, nuptias celebrare inceperat. (*f*)

(t)

(*b*) Mortuo Gabriele Perényi conferebatur comiti de Homona. Decr. anno 1625. art. 44.

(*c*) Est, teste anonymo Belae regis notario, cap. 13. vbi illud Zemlun vocat, alteris Hungarorum castris memorandum.

(*d*) Vnde gens Szerdahely. Est nunc iuris Liberi baron. Vecsei.

(*e*) Anonymus Belae regis notarius cap. 17. Zerenche & Zerencze vocat.

(*f*) Hine conuiuas, Tokayinum duxerat, vbi cum eis tribus diebus epulabatur. Inde Bitscham, ad Trentchinienses transire

(t) *Butka*, in processu Nagy Mihalyiensi.
(u) *Szina*, a quo familia Szinaiana, eodem processu.
(x) *Gall Szecs*, olim non incelebre oppidum.
(y) *Zetken*, castellum Klobusickianum.
(z) *Pazdits*, Pazdits, in quo Petrus Szirmay anno 1648. castellum erexerat.

Notari adhuc merentur:

(a) *Zuba*, *Ujfalu*, *Mutsár*, *Kraszna*, *Somogh*, & *Zaluk*. (*g*)
(b) *Geyenes*, & *Abara*, castella olim non incelebria. (*h*)
(c) *Liszka*, a Bela IV. rege, ecclesiae b. Martini apud Scepusienses collatum, iamque saeculo XIII. vitibus non ignotum. (*i*)
(d) *Szirma*, (Zirma) Bessenye Szirma, cum castello, vnde axioma familiae Syirmaianae adhaesit.

Sunt & vici nobilitate vini insignes, innumeri fere, quos tamen instituti ratio percensere prohibet. Adeo vero multi sunt, regione hac, vini nobilissimi prouentus; vt septem milliarium tractu, nihil, quam praestantissimi fructus vineas, reperias.

7. Su-

placuit, vbi per aliquot dies conuiuia continuabantur lautissima. Seiunctum est oppidum hoc, a Lelesz meridiem versus, dimidiae horae interuallo. Pertinuit olim ad conventum Leleszienſem, dein ad Lorandfianam familiam. Susanna Lorandfi, vxor Georgii I. Rakotzy principis Transiluaniae, loco hoc valde delectabatur, & vetus castellum reparandum curauit. Kaprinay in hist. diplom. P. II. p. 224.

(*g*) Kaprin. in histor. dipl. P. II. p. 484.

(*h*) Kaprin in hist. dipl. P. II. p 92. Decretum anni 1471. articuli 29 deposcebat, vt solo aequaretur.

(*i*) Carolus Wagner in analectis Scepusiensibus P. I. pagina 300.

7. Supremi comitis honore ambulatorio CAROLUS comes PALFFY ab Erdöd etc. ornatus est.

§. IV.

COMMITATVS VNGHENSIS, VNGVARIENSIS, vel etiam de Vngh, Hungaris, Vngh-Vármegye, Germanis, die Unghver Gespanschaft, nomen ei, arx Vnghvár iam intercidens communicauit.

1. Priori illi ab occidente, Galliciae regno, a septentrione, adfinis est. Init vero in Galliciae limitibus, vltra Vngh amnem protensus, qui meridionalem comitatus marginem praeterlabitur. Ad orientem, comitatus Berghiensis; ad meridiem, idem Bereghiensis & Zempliniensis propinguus ei est. Frequentes eum riuuli montani irrigant, vt sunt:

(a) *Vngh*, seu Vngho, qui, posteaquam a Carpato septentrionali egressus, multos alios recipit amniculos, arcem & oppidum Vnghvár, circumfluit.

(b) *Labortza*, &

(c) *Latortza*, aeque ex Carparto oriundi, fluxus celerioris. Deuecti fluuii in vnum, Bodrogum, in quem se exonerant, valde augent. (k)

2. Hungari regionis inhabitatores sunt, & Rutheni, priscorum Sarmatarum reliquiae. Instabiles hi, miseram degunt vitam. Illi certe, multo naturae viuunt conuenientius. Habet pagos 200 oppida tamen tantum quatuor. Aerarium bellicum inde quotannis accipit 19287. fl. 20. xr.

3. Mediam comitatus partem, qua in aquilonem secedit, Carpatus occupat. Altera, meridionalis puta, Tibiscum versus, planior quidem est, at inundationibus frequentissimis fluuiorum ante-

k) Reliquos fluuios et riuos describit Timon in notione Tibisci, §. 6. p. 38.

te recensitorum, obnoxia. Laudantur tamen vina Vnghensia, tam ob insignem salubritatem, quam nobilitatem etiam. Ceterum, pecoribus valent incolae, agriculationi, aeque ac pecuariae rei dediti. Montes feris, variique generis auibus abundant. Saltus quoque, & valles multae, apud Vnghvarienses deprehenduntur.

4. Processus ei sunt quatuor, quorum hæc sunt nomina:

(a) *Vnghuariensis*, tantum in septentrionem, quod vltra arcem Vnghuár est, occupat, quantum vix reliqui tres. Horret Carpato.

(b) *Sobrantzensis*, tenet oram comitatus occidentaliorem, perpetua montium serie, a Zempliniensi discretam. Dedit ei nomen Szobrantz, copiosum olim oppidum.

(c) *Paloczicienfis*, a praecipuo vico, dictus, insedit regionem planam, sed eluuionibus amnium extra modum incommodatam. Aliqui hunc processum ad Kaposiensem referunt, & tantum tres processus comitatui huic tribuunt.

(d) *Kapposiensis*, ab oppido Nagy Kappos, nomen fert. Admensa ei ora, comitatus facile amoenissima ac fertilissima est, &, hic in occidentem, illic, in orientem, proiecta.

5. Arces, quae frequentiores hac prouincia visebantur, pleraeque intercidernnt, eo potissimum tempore, cum inclutae comitum familiae Drugeth de Homonna, & Rakotzy, suas invicem iniurias vindicarent. Praecipuae restant.

(a) *Vnghuár*, rupi non altae magis, quam prospectus amoeni, imposita, quam amniculus Vngh, circumquaque incingit caput dynastiae Vnguariensis. Nomen ea toti comitatui impertiuit, atque est omnino, mole gemina, interiore altera, altera exteriore. Elegantis ambae, veteris quidem illa; haec recentioris est operis. Hucdum in propugnaculis habebatur, quod frequentiores iam belli iniurias

su-

ſuſtulit, non vnam Rakotzianis ſtragem conciliens. Ornabant arcem hanc, ad omnem magnificentiam educentes, olim comites Drugeth de Homonna.

(b) *Vinna*, ardui poſitus, difficilisque acceſſus eſt, ob praerupti montis, cui inſedit, anguſta latera. Prohibent ruinas hucdum, arcis poſeſſores, Sztarai comites, qui fornices hic, & conditoria, exſtruxerant. Proſtabant praeterea olim

(c) *Raska*, de qua Olahus in Hungaria Libri I. c. 51.

(d) *Neuicia*, (Nevitzke) Vnghuarino verſus occidentem ſolem obiecta. Vicinum habet cognominem vicum. (*l*)

6. Oppida, his inſignita nominibus ſunt:

(a) *Vngbvdr*, hilari obtutu, per cliuum montis, late in meridiem arci adpoſitum. Hic demum vaſtam planitiem illam conſpicere licet, quae non poteſt non, oppido, & aëris ſalubritatem conciliare, & amoenitatem. Nomen accepit a fluuio Vngh. (*m*) Quod in eo gymnaſium deprehenditur, erat vnum ex primis in regno Hungariae Jeſuitis attributis. Pertinebat ad illud, vinea in agro Tokaienſi plantata, quam, ex liberalitate Catharinae Brandenburgicae, Gabrielis Bethlen principis Tranſiluaniae vxoris, poſſidebant. Contulit Auguſta regina anno 1776. quidquid ordo hic in oppido hoc olim poſſidebat, epiſcopo Munkacſienſi. Habebant quoque hic olim patres Paullini ſuum domicilium.

O 2 (b)

(l) Tim. in not. Tib. p. 39.

(*m*) Lapſus eſt, ſine dubio, annon. Belae regis notarius, dum cap. 13. a caſtro vel oppido hoc, Vngaros eſſe denominatos perhibet.

(b) *Szobrántz*, laxum antea & copiosum oppidum, ad montium radices, agro foecundo adsedit, interluitur Hornya amne, qui peculiarem oppido obtutum conciliat. Iam, nescio, qua temporum sorte accidit, vt, in villam villissimam plane abiret.

(c) *Nagy Kappos*, seu Kappos maius, populosum antehac, & frequentibus nobilium sedibus inclutum oppidum, comitiolis etiam frequentatum subinde. Hodie aeque eadem, cum reliquis, sors illi accidit; vt, a pristino decore multum remitteret, ita tamen, vt, nec incultum plane, nec colonis inane sit.

(d) *Krajna Nissy*, Vkraina inferior, regio montosa, ad radices Carpati, coloniam habet Russicam, & vicina est Vkrainae.

(e) *Oroszveg*, Oroszvicum, vicus amplus, ad Labortzam amnem reiectus, episcopo Munkatsiensi, qui, cum Romano-Catholicis in vnionem rediit, subest.

(f) *Szeregnye*, Szeregynia, oppidum cum arce antiqua. (*n*). Pertinebat olim ad Andream Forgách, iam ad inclutam gentem Barkotzianam.

(g) *Palocz*, Paloczinum, oppidum mediocre, cum castello, etiam iuris est Barkotziani. (*o*)

(h) *Brezna*, maior, & minor, quarum posterior coenobium habet, monachorum Basilianorum Graeci ritus, annuis supplicationibus clarum. (*p*)

7. The-

(*n*) In Maximiliani decr. II, art. 17. §. 16. Szetunye vocatur.

(*o*) Inter Vngum & Bodrogum positum. Erat haereditum inclutae Paloczíae gentis, quae, in Antonio de Palócz, ad Mohâts, anno 1526. interfecto defecerat. Consecuti demum sunt, illud Dobones, per Perényium inde eiecti. Istuanf. Lib. XX. p. 378 Kaprinay in histor. diplom. P. II. p. 224.

(*p*) Timon in notione Tibisc. p. 39.

7. Thermas habet nullas, fontem tamen salubrem, ad Szobrántz oppidum, manantem. Scatet is aqua nigricante, paullulum odore sulphuroso, gustu subsalso. Optimum colonis, qui in vicinia sunt, comitatui integro, pro cienda aluo, medicamentum. Et balneis enim, & potui pecoribus, aquam adhibent.

8. Supremum comitem, Nicolaus olim Bercsény agebat; qui tamen, ea dignitate, ob perduellionem excidit. Postea, gubernium prouinciae, ad regios pertinebat administratores. Nunc comes JOANNES PHILIPPVS e comitibus SZTARAY de Nagy Mihály, ambulatoriam in ea habet dignitatem. Episcopus Munkatsiensis hodiernus Graeci ritus Catholicus, vocatur ANDREAS BACSINSKY, qui, simul abbas est S. Petri apostoli de Tapolcza, ad Miskolczinum.

§. V.

COMITATVS BEREGHIENSIS, Hungaris, Beregh-Vármegye, Germanis, die Beregher Gespanschaft, denominationem trahit, ab oppido Beregh-Szasz, hoc tractu frequentissimo, quem propterea, nonnulli vocant, comitatum Bereghszászziensem. Geographi, quos auctor etiam in prioribus editionibus secutus est, sine fundamento, ad Transtibiscanum circulum eum referunt. Est enim ex hac parte Tibisci, pauca loca si exceperis.

1. Carpati radicibus in tractus aquilonari insertus, vbi semet, montosa explicat regione, in apertam exit planitiem, quae, ab amne Latortza irrigata, fluuio Tibisco, loco inferiori substringitur.

2. Protractus in longitudinem, novem, in latitudinem vero, quatuor milliaria, clauditur ab aquilone Carpato, quo, a Gallicia dirimitur, ab ortu, Maramarosiensi comitatu. Quem, ad austrum. Vgotsensis, & Szathmariensis; ad occasum, Vnguari-

guariensis incingit provincia. Numerat pagos 255. oppida 6. animas 45750. inter quas Judaei sunt 770. Tributi nomine aerarium regium deposcit inde quotannis 25486. fl. 50. xr.

3. Incolunt prouinciam, in regione campestri, Hungari, & moribus, & occupationibus reliquis suppares; in tractu vero montoso, Rutheni, & quidam Valachi, vtrique Graeci ritus, inculti hucdum ac pertinaces, Romano Catholicis reduniti, in quibus poliendis multum laboratur. Caluini quoque placita multi prouinciales, inprimis Hungari sequuntur.

4. Illa pars agri, quae ad aquilones vergit, montibus est discreta, propptereaque austera & sterilis. Quae autem, in meridiem & campum patentem, diffunditur, foecunda, ob crebras tamen eluuiones, paludibus impedita. Hoc situ locorum, dispofita pars superior, lignationi benigna est; inferior, vitibus atque frumento. Siluas habet amplissimas & glandiferas, prata amoenissima, testudinum, piscium, ferarum, ac volucrum varii generis copia, &, quod praecipuum est, aëre etiam puro sanoque perfruitur.

5. Distinguitur in processus IV. & dominium Munkáts, accepta eorum, ab oppidis & situ, denominatione.

(a) *Processus superior*, & dominium Munkáts, a quo Munkátsensis etiam appellatur, superiorem comitatus tractum, ad aquilonem, inter Vnghuarientem & Maramarusiensem prouinciam, loco montoso; vsque ad Poloniam prolatum, occupat.

(b) *Processus Bereghiensis*, aliis Félvédek orientalem prouinciae oram in Vgotsiensium finibus tenet.

(c) *Processus Tiszahát*, secundo Tibisco profertur, in regione meridiana.

(d) *Processus Kaszoniensis* per comitatus Zempliniensis limitem in occasu diffunditur.

6. Arces, bellorum tempestate, siue dirutae, siue neglectae, paucae in hac prouincia occurrunt.

(a)

(a) *Munkatsinum*, Hungaris Munkáts, castrum est, insuperabile, in planitie longe lateque diffusa, rupi praelatae, anno 1340. regnante Caro. I. a Theoro Keriatovichio duce Munkátsiensi, impositum, & excauata in petra, fossa circumdatum. (*)

(*) Vide Nicol. Istuanffi. hist. lib. XXIV. Adiectae sunt ei anno 1628. loco inferiore, cum in principis Transiluaniae potestate fuerat, ad austrum, arces duae, in iisque septem propugnacula validissima; quae, anno 1706, Franciscus Rakoczy, ageribus, deriuatoque amnis Latortzae alueo communiuit validius. Ne aqua praesidiariis subtrahi posset, fons in saxo arduo & duro 50. orgyarum, sumtu insano excisus. Kériatovich vero pulsus, a Lithuanis, ex Podolia, cui dominabatur, ad Carolum I. regem confugerat, qua de re legi potest Albertus Wijuk Kojalovicz in hist. Lith. P. 1. Lib VIII. p. 303. seq. Hic, clientem suum, liberaliter acceperat, eique, amplam hanc, & Podoliae vicinam dynastiam, contulerat. Mortuo Theodoro, redit dynastia ad sacram coronam. Anno 1425. eandem Georgius Rasciae regulus, loco Albae Graeciae, acceperat, Thurotz. Chron. P. IV. cap 20. Si vera sunt, quae anonymus Belae regis notat. cap. 12. memoriae prodidit; Hungari, hanc per oram, praecipite saeculo IX. in regionem, quae demum ab eis Hungaria est denominata, se intulerant, & reiectis Maharensibus, prima hic castra posuerant. Post exitiabilem illam Mohatsianam cladem, Joannes Zapolyius, qui rerum gubernacula, ausu temeratio surripuerat, Munkatsinum quoque, compluribus cum comitatibus vicinis, occupauerat, detinueratque. Anno 1567. Lazarus Schuendius, illud armis, in fidem Caesaris, & regis legitimi, reuocauerat, mox tamen sub Transiluani iterum venerat dominationem. Franciscus I. Rakoczy, &, post eum, Emericus Tökely, thesauros suos, & adparatum bellicum, huc congesserant. Postquam felicibus armis augusti, & regis Leopoldi, cum Turcis asseclа eorum Tökely depelleretur, uxor huius Helena Veronica Zrinia, ausa est, validum arci praesidium, iniicere, eamque defendere strenue. Anno 1686. omnes conatus hostium elusit, anno tamen insequenti, ad deditionem faciendam perducta est. Tenuisset arcem diutius, ni eam argentum, & commeatus defecissent. Abducta demum est, cum filio Francisco II. Rakoczio, Vindobonam. Venit, hac occasione, in manus Catalae ducis exercitus, claua, cum sceptro, ac casside aurata, quae Tökely, qua principatus insignia, a Turca acceperat.

(b *Beregh*, castrum antiquissimum, a quo comitatus nomen mutuauit, rudus est, cuius vix vestigia obseruantur.

7 Oppida, quae Hungari colunt, sex, vt indicatum est, complectitur

(a) *Munkáts* Munkatsinum oppidum amplissimum & frequens, aliquanto loci distat intervallo, a castro. (**) Celebre hic habebant olim Dominicani domicilium; imo & sanctimoniales, quae S. Dominici regulam sequuntur; ab anno tamen 1560. nulli huius ordinis homines ibi deprehenduntur. Ladislaus Turocz, perhibet, in Vngaria sua p. 231. Basilianas moniales a Dominica Theodori Kériatovich vxore, illuc deductas fuisse.

(b) *Bereg-Szász*, Bereghszászinum, oppidum est eximium, propter coloniam Saxonicam, hoc insignitum nomine. Szász enim Saxonem Hungaris denotat. Nunc à solis habitatur Hungaris.

(c)

Anno 1703. Franciscus II. Rakotzy Munkatsinum, se ex Polonia, intulit & bellum ciuile in Hungaria iterum accendit Post clades & caedes multas, anno 1711 Cassouia, et vltimo demum, arx quoque haec, caesareani Hungarici militis virtute, est expugnata, & pax in Hungaria restituta. Ad dynastiam Munkátsensem, praeter arcem, & oppidum Munkats. 300 vici pertinuisse dicuntur, quod probabile non est, nunc tres supra 30. illi parent possessiones. Prisca aetate, ad bona, quae nostri coronalia vocant, pertinebat, quod ex decreto VII Wladislai art. 3 & Luhouici II. decret. anni 1518. art. 14. patet Olahus scribit Lib. I. c. 2. §. 1. eam vini & porcorum prouentu nobilem fuisse. Haec tamen munitio, per pacis, quibus gaudet halcyonia, prona est ad ruinam. Post bellum Rakotzyanum, iuribus fisci regii adcensa est. Hodie ad S. R. I. comites de Schönborn pertinet.

(**) Clauserat illud anno 1360. Theodorus Kériatovich dux Ruthenorum, muro, qui tamen postea pessum est datus Hodie castellum continet magnificum, &, in obiecto colle, coenobium Basilianorum, Graeci ritus, cum abbatia S. Nicolai, in qua sedem habebat episcopus Graeci ritus; qui, inter Romanae Ecclesiae redunitos pertinet.

(c) *Helmetz*, Helmetzinum, oppidum mediocre, altius intra colles, in oram aquilonarem retrusum, ad praepofituram Lelefzenfem pertinet.

(d) *Vary*, Vari, Varum, oppidum, praecipuum in orientem aeftiuum recedit a prioribus.

(e) *Mufai* Mufaium oppidum paris fortunae, magis ad meridiem depreffum, proxime ad Tibifcum fluuium declinat.

(f *Szent Miklos*. (S. Nicolaus) (***)

(g) *Dolba*, caftellum, (****)

8 Supremus, isque perpetuus comes eft, EVGENIVS ERVINVS e S. R. I. comitibus a SCHÖNBORN, cancellariae imperialis aulicae confiliarius.

§. VI,

COMITATVS ABAVJVARIENSIS, Hungaris, Abauj-Vármegye, Germanis, die Abaujwarer Gespanschaft, a caftro Abaujvár nomen duxit. (*q*) Tenet comitatus hic primum, inter eos, qui in fuperiore Hungaria funt, locum.

1. Cis-Zemplinienfem comitatum occupat 12. fere milliaria; fi longitudinem inìueris, a feptentrione, in meridiem procurrens. Quod ab occidente in meridiem vergit, trium, quatuor alibi, imo, & quinque, ftadiorum, latitudinem explet.

O 5 Im-

(***) Timon in notione Tibifci pag. 35. abbatem Graeci ritus ibi locat.

(****) Ex mandato Matthiae I. regis disiiciendum. Decr. anni 1471. articulo 29.

(*q*) Thurotz P. II c. 39. vocat eum nouum caftrum, ab Abba rege conftructum. Caftrum Vjvár, foffa & aggere magno cinctum conditorem habuiffe dicitur, Abbam, feu Samuelem Hungariae regem. Meminerunt aliquot diplomata, inprimis Sigismundi regis, comitatus de Ujuár, qui non alter erit, quam Abaujuarienfis, non Sarofienfis, vt aliqui exiftimant.

Impingit ab aquilone in comitatum Sárosiensem, & Scepusiensem; ab ortu & meridie, in Zempliniensem, in Borsodiensem, & Tornensem ab oriente.

2. Coloni prouinciae, qua expanditur planities, Hungari contigere. At Cassouiam, & ambo oppida Metzenseiff, Germani incolunt veteres. In montibus vero, Slaui partim, partim Russi, (r) quos Ruthenos, (Rusnaken Germanico idiomate) vocant, degunt. Deprehenduntur in comitatu hoc pagi 221. oppida 7. Soluit comitatus quouis anno in aerarium bellicum 50284. fl. 40. xr. praeterea, ipsa vrbs Cassouiensis 9643. fl. xr. 40.

3. Omnibus haec regio naturae beneficiis, abundantissime gaudet, vino maxime, in Zempliniensis comitatus finibus, quod Tokaiensi illi accedit proxime. Sunt, & montes hinc illincue, argenti aurique quomodocunque feraces. Rei frumentariae pecuariaeque prouentus, eo maior est, quo amoeniore situ campi resedere. Fluuii praecipui, quos habet, sunt: Hernadus, Torissa, Sajó, Boldua. Aquae Cassouienses, saluberrimis gloriantur balneorum fontibus, eae vero, quae, apud Kékedienses ac Mislenses sunt, calefactae, ad morbos varios depellendos multum faciunt. Accidulae quoque & diuites aurariarum, pluribus in locis, deprehenduntur venae. (s)

4. Discriminatur in processus IV. quorum haec est denominatio.

(a *Cassouiensis*, ab vrbe cognomine dicitur, cui, ad duo milliaria, situ partim montano, partim campestri, circumfunditur.

(b) *Fuzeriensis* traxit nomen ab arce Füzér, continetque eam comitatus portionem, quae Cassouiensi

---

(r) Qua de re Verneh. de admirandis Hungariae aquis p. 256. seq.

(s) Fluuios & riuos eius, Timon, qui Cassouiae olim degebat, in notione Tibisci p. 63. eleganti exponit ordine.

uienſi prouinciolae montano poſitu, intra meridiem & orientem obiacet.

(c) *Cserhátienſis*, tractus eſt a ſeptentrione in auſtrum procurrens, ſic dictus, a quercetis, quae collinam ex ſe regionem inſident.

(d) *Szikſzouienſis*, regiuncula eſt, reliquis a meridie obtenſa, Borſodienſibus vicina, eaque totius comitatus, facile optima. Habet nomen a Szikſzo oppido.

5. Vrbs libera regiaque, ſimul & munimentum nobiliſſimum, Caſſouia, Hungaris, Kaſſa, (t) Germanis, Kaſchau, Slauis Koſſice, Hungariae ſuperioris, cuius regionem exornat, metropolis, amoeno hilarique campo, inſedit Hernado flumini proxime, vnde etiam foſſis, aquae ſuppetunt, ſic ſatis copioſe. (u) Erat quidem in ea, ob paludoſam circum regionem, aeris quaedam inſalubritas, quae tamen, ſedula vicorum mundatione, aliquantum emendata eſt. Quod ad interiorem vrbis habitum adtinet, diuerſis ea plateis interſtinguitur. Jucundiſſimum profecto, amniculus Csemely, adſpectum facit: quippe qui, facta in foro, cui ſtatua impoſita eſt, ouali inſula reliquam vrbis partem, ſuſurro iucundiſſimo perfluit et ſordes euehit. Ceterum, publicorum comitatus iudiciorum; quin academiae etiam ſede excellit. Aerarium regium, quod hic erat, adminiſtratio camerae Scepuſienſis vocabatur, & ipr-dem

(t) Ita eam vocat Thurotz in Chron. P. II. c. 90. anon. Belae regis notar. c. 32. Caſſa.

(u) Vtrum a Caſſio Romano, vti Bonfinius vult, vel milii copia (Káfafalua) acceperit denominationem, alii diſceptent. Sunt, qui malint, a villa Caſſa, quae hic locorum condam fuit, eandem reperere, idque literis antiquis, quae in urbis tabulario, eſſe dicuntur, probare volunt. Quaerunt praeterea hic, nonnulli Gormanum & Bormanum Jazygum veterem.

dem iam huc a Scepusiensibus translata, anno 1774. abrogata est, et in administrationem peculiarem conuersa. Academiae vero fundamenta, Benedictus Kisdius Agriensium episcopus, anno 1657. posuit, quod institutum Leopoldus augustus anno 1660. adprobauit. Typi, quos Cassouia habet, ad Bartfenses olim pertinebant. Accedit armamentarium etiam, adparatibus bellicis insigniter instructum, cum cella penuaria longe refertissima. Sed, nec desunt militum contubernia, aeque vasta mole exstructa. (x) Templum princeps, quod in vrbe est, d. Elisabethae dicatum, cum turri vicina, ad eam formam est exstructum, quam habet d. Stephani aedes sacra Vindobonensis. Cedit illi, magnitudine, & mole, splendore illud imi-

(x) Munitiones olim celebres habuit, quae tamen a Francisc Rakotzyo, longe firmiores factae sunt. Reparata sunt vrbis moenia, & operibus aucta Ferdinando II. regnante. D. Leopoldus vero castrum, portae, quae ad meridiem posita est, adiecit, ad quod opus Sophia Bathory princeps, vt Franciscum I. Rakotzium filium, in vita & bonis amplissimis conseruaret, 200000. floren, contulit. Anno 1713. mandante Carolo VI. solo iterum aequatum est. Quin, & fossis eo tempore profecit non amplis modo, sed frequentibus etiam. Praesidium olim frequens Germanicum, nunc & Hungaricum, ei inest. Capto per Turcam Temesvaro, supremus praefectus militiae superioris Hungariae, hic domicilium est consecutus Propugnaculum, suburbia, longius tamen remota, circumcludunt Ciues, mercatibus potissimum quaestum faciunt. Erat olim, teste Nicolao Olaho, emporium celebre, quod non Hungari solum, & Poloni; sed etiam aliae, ad septentrionem reiectae nationes, frequentabant. Erat quoque ante aliquot saecula, officina instructa, in qua nummi cudebantur, quae tamen, postquam Aranykenses aurariae, neglientius coli coeperunt, & ferariae in earum locum successerunt, sublata est. Bela IV. clade fatali a Tartaris, apud fluuium Sajo, mulctarus, huc se recepisse, &, post aliquot annos vrbem inter liberas regiasque retulisse dicitur. Erat retrusa aetate. Cassouia ab hac diuersa, superior dicta, cuius non procul ab ipsa vrbe, ad boream, excelso in monte, rudera ostenduntur.

imitatur. (y) Versus occasum, ad propugnaculum vrbis, praedicatores, templum vetustum possident, anno 1700. reparatum. Non procul inde est aedes sacra d. Michaelis, quam d. Vrsulae sociae 1692. consecutae sunt. Versus ortum, occurrit templum B. M. Virginis, ad Francisci sodales strictioris obseruantiae pertinens. Vicinum illi est, academicum S. Trinitatis, a Sophia Bathory, & filio eius Francisco I. Rakoczy, Iesuitis traditum. Conuictum pro nobilibus, Susanna, ex illustri gente Balassa orta, fundauerat.

6. Arces prouinciae, vetustate interierunt plurimae: Sunt autem:

(a) *Vjuár*, haec illa est, quae toti prouinciae nomen impertiuit, ad Hernadi ripas posita, campo planiori, adeo iam obnoxia ruinis, vt ne munitionum vestigium amplius vllum, praeter fossas, adpareat. Conditor eius existimatur fuisse Abba palatinus saeculo XI. (z) Non procul inde distabat castrum Tarko. (a)

(b) *Regetz*, Regécia, monti insedit amplo tramite. Adeo venustis olim palatiis instructa fuit; vt, non dubitarit Emericus Tökely cum Helena Zriny, nuptias hic celebrare. Est eo anno, quo Sáros Patak, diruta.

(c) *Szaldntz*, praerupti montis fastigio imposita fuit, quod ex ruderibus tantum adparet.

(d)

(y) Fundatum esse perhibetur, ab Elisabetha, vxore Caroli I. a Ludouico I. rege Hungariae perfectum exornatumque. Vrbi insignia, quibus vtitur, Wladislaus rex anno 1502. contulit. Timon in notione Tibisci p. 54.

(z) Saec. XVI. erat Georgii Tanciani. Istuanffi Libri XIX. p. 373.

(a) *Istuanffi* l. cit. p. 373.

(d) *Jaszó*, (b) hucdum valida est, positu amoenissimo. Boldva enim fluuius praeterlabens & iucundam efficit regionem, & salubrem. Conuentu celebratur hodie, & praepositura Sancti Joannis baptistae ordinis praemonstratensium, ad quem anno 1697. patrocinio Georgii Fenyesi, episcopi Agriensis, rediit. Conditorem eius faciunt Colomanum regem Galliciae, atque fratrem eius Belam IV. qui opus ab illo inchoatum, eo mortuo, continuauit. & ad perfectionem perduxit. Cassouia tribus milliaribus occidentem solem versus distat. Celebratur, & tabulario publico, cui perpetuam ibidem sedem posuere. Vltra in valle, oppidum est metallicum, Jaszó etiam nominatum, & ad praepositi Jaszouiensis dominationem pertinens, vno admodum vico decurrens.

(e) *Nagyida*, in qua, Zingari seditiosi, anno 1557. cladem acceperant. Posuerat eos, pro custodia vallorum arcis, herus loci, Franciscus Perényius, veterano milite, ad arcis interiora tuenda, collocato. (c) Est nunc iuris Csakyani.

(f) *Boldokö*, Bodokö, bello Rakotziano disiecta, ad collegium PP. societatis Jesu, quod Leutschouiae erat, pertinebat. Habet vinum non ignobile.

7. Oppida plura inueneris, in quibus:

(a) *Maius* & *Minus*, seu superius & inferius Metzenseiff, duo diuisa copiosaque oppida metallica, quae, antiquis Germanorum coloniis suas debent origines. Incolunt ea hucdum Germani, robusti laboriosique, hi generis sunt, metallici partem maximam, qui, quod ferrum in montibus est effo-

(b) Vocatur in vetustis documentis Jazowára, & fortalitium Jazov, Kaprinay in Hung. diplom. P. I. p. 113.

(c) Reiecerunt illi ab arce Ferdinandi I. milites, qui tamen, postquam cognouissent, Zingaros, puluerem nitratum deficere, redierunt, &, impetu in eos facto, ingentem stragem ediderunt. Desiderati enim sunt ex Zingaris 1000. & aliquot. Judaei quoque hic 1650, conciliabulum celebrasse creduntur.

effodiunt, & non exiguum oppidis commodum conciliant. Sed in primis ad vias, plateas, lapidibus sternendas & complanandas, sunt aptissimi, moribus certe peculiaribus gaudent, & dialecto Germanica, quam Germani aegre intellexerint. Vtrumque oppidum est in dominatione vicini praepositi Jaszouiensis.

(b) *Szepsy*, alias Moldaua, exiguum magis, quam copiosum, a colonis Hungaris habitatum. Habet celebres nundinas hebdomadales, in quibus, Scepusienses in primis, magnam copiam frumenti, emere solent. Est priuilegiis exornatum amplis, & olim muro circumseptum fuerat. Est, vt Metzenseiff, vtrumque, in Cserhatiensi processu.

(c) *Göntz*, eiusdem cum priore conditionis est, in processu Szikszouiensi. Arcis, quae ad oppidum excitata erat, vestigia quaedam hodiedum ostenduntur. Habebant hic Paullini monasterium, quod Ludouicus I. rex fundasse dicitur. (*d*)

(d) *Szikszó*, locus duplici Turcarum clade insignis; vino proficit, & nudinis pecuariis. Recedit autem Cassouia, sex in meridiem milliaribus.

(e) *Eniczke*, in processu Cassouiensi. Hic subnecti possunt.

(a) *Rozgony*, vetus castellum, prope Cassouiam, a quo prisca gens Rozgoniana accepit denominationem. Memorabilis etiam est, proelio & victo-

---

(d) Legauerat illud testamenti tabulis anno 1499. confectis ecclesiae S. Martini in terra Scepusiensi, Stephanus Zapolya palatinus regni. Retinuit tamen illud, filius eius Zapolya, eoque proscripto, Ferdinandus I. Alexio Thurzoni id contulerat. Carolus Wagner in analect. Scep. P. 4. p, 150. & 162. Olim spectabat ad Amadaeos (Omodaeos), ex quibus, initio saec. XIV. celebris, & potens erat palatinus, qui Wladislaum lo-cticum, seu cubitalem dictum, Poloniae ducem exulem, hospitio hic exceperat.

ctoria Caroli I. regis cruenta; quam, de perfido Matthia Trenschiniensi, retulerat (e)

(b) *Pereny castellum*, a quo incluta gens Perényiana denominata. Andrea II. regnante, Joannes Dobos, illud impetrasse dicitur. (f)

(c) *Semsé*, seu *Sepse*, (aliquando etiam Zemphte) mille passibus Cassouia ad occasum reiectum, in quo castellum est Semseianum. g)

(d) *Felsö Vadász*, a quo Rakocziana gens axioma habebat.

8. Sunt praeterea quoque memoranda:

(a) Praepositura S Nicolai *Myslienfis*, sesqui tantum milliario, a oriente, in meridiem, Cassouia reducta, praepositura veteri celebris. Fundasse eandem perhibetur gens Somosiana, quae late in his oris olim dominabatur. Aedificium ad castelli modum exstructum est. Jesuitis Cassouiensibus, ab anno 1643. parebat, quo eandem, ex liberalitate Ferdinandi III. imperatoris, acceperant. Est in ditione amoenissima, quae, venationibus, piscatui, & aucupiis, est accommodata.

(b) Abbatia B. Mariae de *Széplak*, quondam Benedictinorum, vetustioris originis, quam vt extricari possint eius initia. Dicitur eorum in potestate usque ad annum 1217. permansisse. hh) Deinde, ad Tyrnauiense seminarium est adplicata.

9. Su-

(e) Kaprin. in histor. dipl, P. I. p. 111. Wagner in analectis Scepusiensib. P. I. p. 21. P. II. p. 111.

(f) Kaprin. l. cit. P. II. p. 112.

(g). Kaprin. l. cit. P. II. p. 483. 484.

(h) Wagn. in analect. Scepus. P. I. p. 128.

(hh) Wagn. l. cit. p. 128.

8. Supremi comitis prouinciam cum laude ornat, LAVRENTIVS L. B. ORTZY de eadem. Conuentus prouinciales Cassouiae habentur.

§. VII.

COMITATVS GÖMÖRIENSIS, Hungaris, Gömör Vármegye, Germanis, die Gömörer Gespanschaft, Slauis, Gemerska Stolice, ab oppido Gömör, quod meditullium fere prouinciae occupat, sic nuncupatus.

1. Montoso partim, partim plano situ resedit, Borsodiensi hinc, illinc Tornensi comitatui limitaneus. Alias, ad septentrionem; Liptouiensi, & Scepusiensi, ad meridiem, Borsodiensi, ab ortu, Tornensi & Borsodiensi, & ab occasu, Kis-Hontensi, & Zoliensi comitatibus coërcetur.

2. Incolae, qua ineunt montium ordines, in finibus Abaujuariensium, Slaui sunt; in planitie autem, qua longius decurrit regio, Hungari etiam atque Germani, sed valde pauci. Oppida habet 11. pagos 219. Deponunt in aerarium bellicum quotannis 77838. fl. 10. xr.

3. Reliqua comitatns ea est conditio; vt fructifero hinc, illinc aspero, ob arenosam terram, solo gaudeat. Frumentum quod in prouincia crescit, alendis omnibus prouincialibus vix sufficit, diligentes habet agricolas, vino etiam, aliquibus in locis non ignobili, atque foliis Tabacci proficit. Aves quoque silnestres, & feras varii generis alit. Rei pecuariae, non magnam licet, aliquam tamen impendunt operam. Nec mineralia desideraueris. Nam & topasium, & ferrum fodiunt copiose inquilini. & hydrargirum & cinabarim. Olim quoque auri fodinis, & asbesti prouentu gloriabantur, asbestum adhuc Dopsenses habent. (i)

4. Hunc

(i) Fluuios & riuos Gömöriensium descriptos deprehendes apud Timonem in notione Tibisci §. 18. p. 93.

4. Hunc comitatum, per valles & fluuiorum decursus, dispertiuere. Sunt vero

(a) *Vallis Rosnauiensis*. Hungaris Rosnó völgye, tractus est, ea valle decurrens; qua oppidum antea archiepiscopale, iam episcopale Rosnauia insedit.

(b) *Confinium Grani*, Hungaris, Garam mellyéke, ora est, ad Granum reducta.

(c) *Csetnekiensis*, Hungaris, Csetnek völgye, ea valle procurrit, in qua oppidum Csetnek est, versus Scepusienses.

(d) *Muranyiensis*, Hungaris, Murány völgye, regio, cui arx Murány editissima insedit, etiam versus Scepusienses & Zolienses.

(e) *Ratkouiensis*, Hungaris, Ratkó völgye, a loco cognomine sic dicta.

(f) *Baloghiensis*, Hungaris, Balogh völgye, dedit ei nomen arx Balogh.

(g) *Erdö Hatság*, h. e. dorsa montana, a loci habitu, sic dicta.

(h) Confinium Sajó, Hungaris, Sajó mellyéke, ora est pone amnem Sajo reposita.

Diuiditur alias in quatuor processus, videlicet, Ratkouiensem, Serkiensem, Putnokiensem, & Rosnauiensem.

5. Arces, quod saepius conquerimur, hac etiam regione, iamiam intercidunt. Fuere autem.

(a) *Murány*, arx olim munitissima, altius excellenti monti imposita, hodie, quod non curetur restauratio, pedetentim labitur. Palatia certe, quibus insigniebatur antea, nec formam quidem pristini decoris retinent. Infra arcem, oppidum, sic satis copiosum. Est arx, cum oppido, in dominatione gentis Koharianae, inter montes in quibus magnes deprehenditur. Saeculo superiori dynastiam ad arcem hanc spectantem, mortuo Francisco Wesselinyi Prorege, fiscus regius occupauerat, deinde Stephanus Kohary eandem genti

suae

ſuae adſeruerat. Pertinet nunc ad bona maioratus, vt vocantur, inclutae familiæ Koharianae. Ad arcem via vnica tantum patet, quae ardua admodum & ſaxis obſita eſt. (*k*)

(b) *Kraſzna Horka*, mille paſſibus in orientem Rosnauia reducta eſt, amoeno poſitu. Montem enim, vnde liberrimus in late patentem planitiem proſpectus eſt, occupat. Eſt in ditione baronum Andráſſy, qui non poſtremis id munitionibus, donarunt. Sunt, in territorio eius, fodinae, ex quibus cuprum, mercurius viuus, & cinnabaris eruuntur.

(c) *Balogh*, prope quam eſt fons riuuli Balogh, vocatur & Balogvár, in Matthiae II. decreto II. art. 17. §. 12. vicina illi erat arx Gödö.

(d) *Putnok*, nobilis olim, ſed quam iam viciſſitudo temporum abſumſit.

(e) *Hajnatskö*, (Ajnatskö) Hajnatsköinum, arx, collem editum in Hontenſium atque Neogradienſium collimitio occupauit. (*l*) Eſt illa iuris Vetseiani.

6. Oppida, regionem ſequentia inſident:

(a) *Roſnauia*, Germanis, Roſnau; Hungaris, Rosnó Bánya, Slauis, Rožnawa, oppidum antea archiepiſcopale, iam epiſcopale, metallicum, ad fluuium Sajo, quod Andreas III. Strigonienſi archiepiſcopo contulerat. Jeſuitas eo, anno 1659. Georgius Lippai archiepiſcopus deduxerat, Stephanus vero Koháry, iudex curiae regiae, multa liberalitate coluerat, auxeratque. Notabilis eius pars anno 17 6. fatali incendio abſumta eſt. Eleganter id poſitum eſt, frequenter non minus, quam nobilibus etiam domibus cultum. Aurum parce fodit, adhæc cuprum, cinnabarim & mercurium viuum. Ciues Germani olim omnes, iique veteres illi fue-

 re.

(k) Poſitum eius eleganter deſcribit Nicol. Iſtvanff. Libr. XVI. p. 286. Latibulum in ea quaerebant, qui, praedonum more, vicina depopulabantur loca. Saec. XVII. venerat in Veſſelinianam dominationem.

(l) Auctor topographiae magni regni Hungariae, quae 1718. prodiit, eandem ad Neogradienſem comitatum refert. Male.

re. Hodie, pauci eorum ſuperſunt, admiſſis Hungarorum Slauorumque coloniis. Fundauit hic augusta regina anno 1776. nouum epiſcopatum, & collegium canonicorum. Epiſcopatum hunc conſecutus eſt comes ANTONIVS de REVA.

(b) *Csetnek*, Slauis, Sſtitnjk, in occidentem abit, vno admodum milliari, a priori, Roſnauia, disiunctum, multis nobilium ſedibus clarum eſt, quod, & ſitus oppidi amoenus, & ferri fodinae copioſae ac feraces, hic ſunt. Ferrum, quod ad Csetnekium eruitur, tota Hungaria praeſtantiſſimum eſſe creditur. Celebris quoque olim erat gens Csetnekiana, quae dynaſtiam tenebat, inter eius multos heredes ſucceſſoresque iam diuiſam. Incolitur, vt et Jolsva, multis equeſtris ordinis viris.

(c) *Dopſchau*, (Topſchau), Slauis, Dopſſina, in diſtrictu Csetnekienſi eiusdem ſortis eſt, eo ſolum a priore differens, quod Germanos hoc incolas habeat, peculiaris cuiusdam idiomatis. Hic, aeque & ferro potiuntur, & cupro. Cinnabarim certe, magna copia effodiunt, vt & asbeſtum. Nec papyrus, quae hic paratur, ignota eſt.

(d) *Gömör* (Gumur) in Putnokienſi proceſſu, frequentibus colonis inſeſſum eſt, oppidum, quod toti etiam regioni nomen communicauit. Iam, & frequentia, & opulentia oppidi deficit.

(e) *Pelsötzinum*, non ignobile oppidum, in Csetnekienſi diſtrictu, a quo Bebékiana gens titulos ſumſerat. Solent hic conuentus prouinciales haberi.

(f) *Rima Széchinum*, (Zech) a quo Széchiana familia denominatur (*m*) in Serkienſi proceſſu.

(g) *Tirgarten*, Tirgartenum, vicus, ad montem, quem ſlauica lingua Kraloua hora vocant, reiectus, amnis Grani ſcaturiginibus memorabilis.

(h)

(*m*) Fuerat olim iuris Bebékiani Ferdinandi decr. XIX, articulo 19.

(h) *Ratko*, Ratkouia, oppidum populosum, quod in primis cerdones multos alit, in processu Ratkouiensi.

(i) *Jolsva*, Alnouia, oppidum castello ornatum, quod in ditione est Koohariana.

(k) *Nagy-Röcze*, Newautze Slauis, oppidum, pertinet, vt prius, ad dynastiam Murany.

(l) *Gombaszegum*, ad amnem Sajó quod Paullinis olim domicilium praebebat, fundatum circa annum 1371. a Georgio & Ladislao Bebékiis.

7. Supremum comitem, GEORGIVS, e comitibus CSÁKY de Keresztszegh, agit.

§. VIII.

COMITATVS TORNENSIS & THORNENSIS,

Hungaris, Torna-Vármegye, Germanis, die Torner Gespanschaft, cui oppidum tenue Torna, adpellationem suam communicauit.

1. Omnium Hungariae comitatuum minimus est, & forte opibus etiam tenuissimus Habet tamen 41. pagos, & vnum oppidum In toto comitatu 12250. animae deprehenduntur, Iudaicae inter has nonnisi 26. aerarium bellicum ab illis 7299. fl. 15. xr. anno quouis leuat. Incingitur vero Abaujuariensium ab oriente, ab occidente, Gömöriensium finibus. Quod aquiloni obnoxium est, Scepusiensi, quod vero austro, Borsodiensi orae confine est. Ambitus integer, decem circiter milliaria quadrata effecerit. Longitudo enim, quam maxima etiam est, quatuor fere milliaria exaequat, latitudo, vix tria, alicubi. Integer praeterea est, montibus refertus altissimis, interiectis hinc illincue vallibus, quae aliquam vitis colendae praebent opportunitatem. Aëre perflatur, quod optimum hac regione est, saluberrimo, ob celsissima montium iuga. Riuos habet piscium feraces, ad haec, turdorum & monedularum multitudinem. In Somogyiensi pago, tanti capiuntur turdi, vt Cassouienses non aliunde necessium ha-

habeant, praestantes has aves, quam ab eius incolis emere. (*n*)

2. Coloni Hungari sunt, quam plurimi, extra morem gentis obtusi; mixti tamen, Slauis Russisque. Laborum eo patientiores hi sunt, quo maiori cum cura & aerumna, vitam, ob soli asperitatem, trahunt.

3. Terrenum passim petrosum est, & inutilibus arenis constat, ideoque, etiam non adeo amicum segetibus. Vbi tamen benignior exstat ager, non frumento solum omnis generis, sed etiam vino egregio proficit. Vix vero vlla re magis, quam pascuis, abundat, pecudi sustentandae, quam frequentiorem habent, commodissimis. Siluas, feris obsitas, haud aeque desideraueris. Metallorum vero, praeter ferrum, inops est. Ceterum, duo potissimum commemoranda, existimauimus, hac regione notatu praecipua.

(a) Antrum *Szadelöiense*, in meridionali parte comitatus visitur, vastum, et variis introrsum anfractibus constans. Cauitas ad dimidium fere milliaris excurrit, vbi demum denuo aperitur. Intus ossa animantium, testarum reliquiae, & alia cultus indicia visuntur; adeo, vt & indicio sint nonnullis, incolas barbarorum expositos impressionibus, hic sua olim perfugia habuisse. (*o*)

(b)

(*n*) Riuos comitatus exponit Timon in notione Tibisci pag. 88.

(*o*) Multae variaeque, de antri huius originibus, opiniones sunt. Ii tamen optime existimant, qui ad Belae IV tempora, latibuli originem referunt. Is enim ad Sajo amnem, non longe a Tornensium finibus, cum caesus ab hostibus esset; quod nil, praeter occulta montium receptacula, ab hostium inuasionibus tutum fuit, facile in hanc cauernam incidit, ibi, vsque dum hostium sedaretur furor, latens. Si forte etiam Belae perfugio non fuit, fuerit tamen multis christianis vicinis, qui,

(b) Specus *Szeliczensis*, ad eiusdem nominis vicum latet. Grande huic os est, octodecim quippe orgyarum, in longitudinem, in latitudinem, nouem extensum. Peculiari certe naturae prodigio fit, vt, cum extus aër frigidus, tepidus hic, imo, & calidus, animadvertatur, contra vero frigidus, dum foris aestas calidissima; & id quidem adeo, vt, simulac vernus aër regionem adflare incipit, ex interno antri arcu, aqua destillet, subito in glaciem coalescens: fitque, vt stirias subinde efficiat, guttarum copia, doliorum instar propendentes. Profundos praeterea recessus habet, plerosque adhuc inexpertos, glacieque refertos, adeo vt, aestate summa, centenos aliquot currus glacie inde repletos accolae devehant; ineunte vero hieme, cum tepidus invalescit aër, diffluant omnia. Hinc, quae frigus externum sufferre nequeunt animantia; quin & lepores, et vulpes, hic opportuna inueniunt receptacula. Superficies antri gramine obtecta est, pascendo pecori saluberrimo.

4. In duos processus diuiditur prouinciola, quorum hae sunt nuncupationes.

(a) *Superior*, in aquilonem, & orientem, subducitur, totus montibus horrens, pauca, hinc atque illinc planitie interserta.

(b) *Inferior*, qui in occidentem & meridiem recedit, pone Boduam amnem, siluosus & hic, ac asper, montibus.

5. Arces duas ostendit exilis regio:

saeuas tyrannorum effugere volebant manus. Exstant non longe muri vestigia, quibus incingebatur olim specus vastissima. Quidquid eius rei sit, meretur certe tam nobile antiquitatis monimentum, vt accuratius paullo, & origines eius, & habitus peculiares, indagarentur.

(a) *Thorna*, in praecipiti monte, difficilis antehac aditus consedit. Praetorio etiam ornata fuit, quod vero in rudus abiit dudum, cum iussu Leopoldi M. desolaretur, arx integra. Est in ditione comitum Keglevich, qui, in ea, castellum habent, cui horti, piscinae, internus conclauium splendor, non parum celebritatis conciliant.

(b) *Szadvar*, Slauici ortus est, positione excelsa, & prospectu in late patentem regionem, longe amoenissimo. Munitionibus, si vlla arcium, haec certe, instructa fuit egregie, vt propugnaculis etiam adnumeraretur. (p)

(c) *Scholom*, Scholomia, arx, vicinam habuit cauernam, quae Hussitis, superiorem Hungariam tenentibus, Sigismundo, Alberto, Ladislao V. & Matthia I. regnantibus, receptaculum praebebat.

6. Oppida, ob tenuitatem regionis, praeter Tornam, nulla sunt, & id quidem ab arce; in meridiem reductum, iucundi situs est, quippe amniculo, quem vulgo Tornaviz dicunt, proximum. Habet & nundinarum iura, cum perpetua congressuum prouinciolae sede.

7. Fontes & aquas salubres multas habet. Praecipuus in iis est, qui, medio a specu Szeliczensi, milliario scatet, Ló-Fej Hungaris, quod caput equi significat, dicitur. Mox hic aquis abundat, mox inops earum est, vel exarescit. Meridie potissimum, quasi e fonte profundissimo, magnam aquae

(p) Saec. XVI. possidebat arcem Georg. Bebékius, princeps, inter Joannis Sigismundi Transiluani administros, quam vxor eius Sophia Paloczia, diu aduersus Schuendium tuebatur egregie. Postea vero, ne Tökölyanis aeque esset receptaculo, Leopoldus imperator dedit in mandatis, vt moenibus nudaretur, adeo quidem; vt dumetis iam praesidii loco cinctam conspicias. Pertinet, cum vicina ditione, ad illustrem gentem Eszterhazianam.

aquae vim euomit, quam aquae eructationem, horae ſpatio intermittit, non ante reiterandam, quam diluculum inierit. Reliqui ſalubres quidem omnes; iguobiliores tamen ſunt.

8. Supremus comes eſt JOSEPHVS e comitibus KEGLEVICS de Buzin, cuſtos ſacræ coronae Hungaricæ, conuentus prouinciales habentur Tornae.

§. IX.

COMITATVS BORSODIENSIS, Hungaris, Borſod-Vármegye, Germanis, die Borſchoder Geſpanſchaft, cui arx vetuſta Borſod hanc denominationem conciliauit.

1. Incingitur vero, ab oriente, partibus comitatuum Abaujuarienſis, Zemplinienſis, & Szabolcſenſis, a meridie, Szabolcſenſi, ab occaſu, Heueſienſi & Neogradienſi; Heueſienſi, Gömörienſi & Tornenſi, a ſeptentrione. Conſtat campis ſpatioſis, ſiluis, item montibus, varia rupium & amniculorum copia, conſpicuis. Montium Bikke, et fluuiorum, quibus irrigatur prouincia, Tibiſcus, & Sajó praecipui ſunt. (q)

2. Comitatus incolae, maximam partem Hungari ſunt. Interſunt tamen his, & Germani; rariores licet; quos Slauorum, quae in dies augentur, coloniae, ſuperant. Habet pagos 159. oppida 10. incolas 93100. vna cum Iudaeis, quorum 990. numerantur. Aerario bellico ex comitatu hoc quotannis mittuntur 62633. fl. 50. xr.

3. Magnam haec regio fertilitatis laudem habet. Non modo enim ſementis omnis, feraciſſimum ei terrenum eſt; ſed vini etiam nobiliſſimi, quod diuerſitate regionis variat. Pecorum & venatus omnis generis, maxima frequentia eſt: quod de piſcatione etiam dixerim. Metalla hucdum prae-

P 5 ter

(q) Reliquos fluuios & riuos dabit Timon in notione Tibiſci pag. 103.

ter cuprum, in Ruda-Bánya, nulla eruant incolae.

4. Habet processus IV. ab arcibus & oppidis denominatos. Sunt autem:

(a) *Miskoltziensis*, ita vocatus, quod oppido cognomini circumfunditur. Montibus gaudet, & planitie fertilissima.

(b) *Onodiensis*, trahit nomen a castro Onod, eam regionem complectens, quae infra montes, campestri positione, in Tibiscum vsque procurrit. Abit in orientem. Aliqui, loco hujus, Agriensem ponunt, eo, quod pars aliqua Agriae ad Borsodiensem comitatum referatur.

(c) *Szendröiensis*, eam comitatus portionem tenet, quae circa Szendrö arcem & oppidum, per confinia Abaujuariensium, Tornensium, interfluente Boldua amne, diffunditur.

(d) *Szent Péteriensis*, incipit ab oppido cognomine, pergitque penes Sajo amnem, inde in occidentem flexus in orientem recedit. Integer insidetur montibus.

5. Arces, quibus munita olim regio fuit, hae circiter fuere insignes:

(a) *Dios Györ*, (r) ruina est arcis olim regiae, quam exstruxerat luxuriose satis, Maria regina Ludouici. I. filia, horae vnius itinere supra Miskoltz, intra occidentem & septentrionem, amoena valle, & pomorum, vini, nucumque feraci, recedit. Pertinebat olim cum vicino oppido, ad reginam Hungariae. Infra arcem, oppidum occupat, obsoletum iam; nisi nuper admodum Germanorum aliquae, tenues quidem, coloniae accessissent. Degebant in hoc oppido olim patres Paullini, quos Ludouicus I. rex Hungariae ibidem collocauerat.

(r) In antiquis priuilegiis Dios Gewr, erit illud, quod anonymus Belae IV. notar. c. 31, castrum Geuur vocat, quod cum castro Borsod in vnum comitatum redactum esse dicit.

uerat. Cingitur ab oriente & meridie filujs. Infra arcem, fluit ex monte riuus, trutarum, & aliorum piscium praestantissimorum, ferax. Nicolaus Olahus in Hungaria libr. I. cap. I.

(b) *Onodum*, Hungaris, Onod, (Olnod) itidém arx & oppidum, bellorum potius euentibus, quam sua mole, nobilitatum. (*s*)

(c) *Cserepum*, Hungaris Földes, arx exigua, a ductis terrae suggestibus conspicua, nunc in vicum abiit.

(d) *Szendrovia*, Hungaris, Szendrö, arx, ad Bolduam, exsurgit, quatuor Miskoltzino milliaribus, secedens, Rakotziorum demum motibus diruta penitus. Oppidum subiacens tenue est admodum. Franciscus Vesselynius palatinus, hic anno 1646. Francisci Seraphici sodalibus reformatis, domicilium posuerat. Est nunc oppidum istud iuris comitum Csaky.

(e) *Dedessa*, Hungaris Dédes, iugo montis insidebat, arx munitissima; quam tamen barbarorum furor, penitus desolauit. Necdum scimus eandem esse reparatam. Siluis enim in dies magis magisque offunditur. (*ss*)

(f) *Borsod*, Borsodinum, castrum quondam communitum, nunc oppidum apertum, a quo comitatus accepit denominationem. Habebantur hic olim

---

(*s*) Hic funesta illa Rakotzianorum comitia, anno 1707. agitata fuere, quibus, & Josephum regia dignitate exauctorare volebant, & turpiter in sua ipsorum viscera saeviebant. Conciderunt nempe, Okolicsanyum & Rakovskium Thurotzienses, viros nobiles, quos minus fidos factioni suae putabant. Eodem in comitiolo Nicolaus Bertsény, Francisci Rakotzy locumtenens est renunciatus. In sinu Sajonis loco paullulum demisso, posita fuit arx.

(*ss*) Saeculo XVI. erat in Perényiana possessione. Istvanfii Libri XXIV. p. 503. Petrus Bizar. de bello Pannon. p. 718.

olim conuentus prouinciales, hodie Miskoltzinum pro illis eſt deſtinatum. A caſtro Onod non procul diſtabat, campus Moky, in quo, Bela IV. cum Tartaris, infeliciter conflixit. Kaprinay in hiſt. dipl. P. I. p. 112.

6. In oppidorum numerum, quae peculiaribus gaudent priuilegiis, haec potiſſimum ſunt referenda.

(a) *Miskoltzinum*, Hungaris Miskoltz, vaſtum copioſumque oppidum, in proceſſu cognomine, colli vitifero, ſubiacet, in orientem, ita tamen, vt maxima ſui parte in planum exeat. Medium oppidum, Szynva amnis amoeno aquarum lapſu, interfluit. Excellit praeterea curia prouinciali, aedificio ſolido inſtructa, in qua ſimul tabularium eſt prouinciae. Accolae mercatibus viuunt, vini potiſſimum quaeſtu, quod nobile, collibus circumpoſitis, gignitur. Nobiles, quorum multi hic ſedem elegere, locum eo reddunt nobiliorem; quo magis hodierno ſplendori ſua conformant aedificia. Habet oppidum hoc, ſuo in gremio, minores Seraphici patris filios. Helueticae confeſſioni addicti, hic ſcholam & oratorium, habent. Ad oppidum hoc quaeres S. Petri abbatiam.

(b) *Kereſzteſſum*, Hungaris Kereſztes, quatuor horis, a priori, meridiem verſus diſſidet, in Agrienſi proceſſu, populoſum aeque oppidum, ditionis regiae, plano loco, paluſtri tamen ſubinde. Cincia enim riuulus, non oppidum modo, ſed integram regionem illam humectat. Inquilini, nobili quidem ſanguine nati, pauperculi tamen ſunt plerique, paſcuorum, inter reliqua rei ruſticae bona, inopes, quae, anno quovis, ab Agrienſi epiſcopo, redimere neceſſum habent.

(c) *Kövesdum*, Hungaris Kövesd, a ſitu campeſtri Mezö-Kövesd appellatum aliquibus, priori vicinum

num. Multo tenerius priori eſt; licet, medio ſolum milliari, ab eo reductum.

(d) *Aſzaló*, elegans & frequens, ad Barſonyoſum riuum, cuius etiam eluuionibus, colonia multum obnoxia eſt. Vndique agro Abaujuarienſi cingitur, in Szendröienſi proceſſu.

(e) Oppidum *S. Petri*, Hungaris, Szent-Péter, in ripa Sajonis, a quo Proceſſus eſt denominatus. Coloni ob ingentem inopiam, pauperes ſunt, vino quaeſtum quaerentes.

(f) *Edelinum*, caſtellum eleganti opere exſtructum, & facile, tota hac ora comtiſſimum; in Szendröienſi proceſſu. Boldua amne totum quantum incinctum. Eſt iuris Eſzterhazyani.

(g) *Laddum*, in quo anno 87. ſupra 1300. Gregorius & Petrus Czudár, pro Paulli eremitae familia, monaſterium conſtruxerant, quibus non pridem eſt reſtitutum.

(h) *Borſod*, Borſodinum, oppidum nunc apertum, quod olim celebre habebat caſtrum, a quo comitatus eſt denominatus. (*t*)

(i) *Csats*, oppidum in Miskolczienſi proceſſu.

Notari adhuc merentur:

(a) Abbatia trium fontium in Bel B. M. V. olim Ciſtercienſium, a Leopoldo M. Agrienſi clericorum ſeminario collata. (*u*)

(b) *Tapoltſenſis*, praepoſitura Miskoltzino vicina. (z)

(c)

(t) Anonymus Belae IV. regis notar. cap. 18. illud ad fluuium Buldua (Boldua) reiicit, perhibetque a Borſa filio Bunger, ſaeculo X. eſſe conditum.

(u) Kaprinay in hiſt. diplom. P. II. p. 269.

(x) Lad. Turocz. in Hungaria p. 272.

(c(*Szirak*, (Szirakum) oppidum olim Edelino vicinum.
(d) Auctor Hungariae magnae (edit. anno 1718.) p. 144. ſubnectit adhuc abbatias, Apathfalvenſem, Pathenſem & Saarenſem.

7. Thermae nobiliſſimae, in hoc comitatu viſuntur; quae vero, quod nullatenus obſeruentur diligentius, a heris ſuis, in lacunas effunduntur. In his:
(a) *Szalonienſis*, nomen pagi ſuſtinent. Spectant autem ad ditionem Csakyanam. Manant fonte vberi ſalubrique, a ſolis agreſtibus frequentatae.
(b) *Kacſienſes*, heri prouidentia, e lacu, in aedificium balneo deſtinatum, reductae ſunt. Habet & fontem acidum, prouincia. Scatet vero, e radicibus montis Bikke, pone vicum Csernes. Quapropter, vici etiam colonis, pro diurno potu ſunt.

8. Supremum comitem nunc STEPHANVM comitem ANDRASSY de Sz. Király & Kraſznahorka, veneratur.

§. X.

COMITATVS HEVES, & SZOLNOK EXTERIOR, vniti, Hungaris, Heves, és Külsö Szolnok Vármegye.

1. Definiuntur proceſſibus IV. vt ſunt:
(a) *Matrenſis*, monti cognomini, & laxis eius radicibus, innexus.
(b) *Gyöngyöſienſis*, cui oppidum Gyöngyös nomen impertiuit, porrigitur per montium radices.
(c) *Tarnenſis*, ab amne Tarna, qui eum interfluit, ſic vocitatus. Hic, vbi ex ſiluis proſiliit, diſcedit in planitiem, adtingitque Jazygum fines.

(d)

(d) *Tibiſcanus* is eſt, qui Szolnok exteriorem conſtituit, procurrit aperta regione cis-& trans-Tibiſcum.

2. Vnius ſupremi comitis iurisdictioni ſubſunt, comitatus vniti, qui hodie epiſcopus Agrienſis eſt; isque comes CAROLVS ESZTERHAZY de Galantha, quam epiſcopatui dignitatem propriam fecerant anteceſſores. Jam, de duobus his vnitis comitatibus in ſpecie.

§. XI.

COMITATVS HEVESIENSIS, Hungaris, Heues-Vármegye, Germanis, die Hewesienſer Geſpanſchaft, oppido Heues, quod habet, nomen debet. Meminit Verbötzius etiam, Heueſienſis minoris, ſeu inferioris. Scilicet, olim in Nagy & Kis-Heveſienſem diuidebatur; illum, in ſuperiore, hunc, in inferiore comitatus parte, quaerendum eſſe exiſtimant noſtri. Eſt vero:

1. Comta regio, longius ab ortu in occaſum protenſa, montibus hinc, illinc campis varia. Illorum prouincia haec, immo toto etiam regno, princeps Matra eſt, qui, apud Neogradienſes exſurgens, vtriusque comitatus fines, vnita ſerie exaſperat, iugis altioribus, hic, alibi depreſſioribus. Rigatur etiam fluuiis Tibiſco in primis, dein Agria, Tarna, Sadva, & Gyöngyös, regio, adeo quidem; vt nimia aquarum humectatione, vliginoſam efficiat. Quod in meridiem vergit, Békeſienſes & Csongradienſes, quod vero in ſeptentrionem, Neogradienſes & Borſodienſes adtingit; in ortu Szabolcsenſes ſunt, & Cumania, in occaſu, Peſtienſis comitatus. (y)

2.

(y) Fluuios & riuos prouinciam percurrentes, deprehendes apud Timon, in notione Tibiſci §. 5. p. 105.

2. Hungari in comitatu habitant, ad quos, posteaquam Turcae, eo tractu pulsi fuissent, Slaui, Rasciani, Germanique accesserunt. Frequentes etiam, extra modum, Zingaros videas, expansis tentoriis, fabrilia olim tractantes, iam ad cultum agrorum & opificiorum reuocantur. Sunt in Heuesiensi & Szolnokiensi illi innexa prouincia pagi 132. oppida 14. in quibus 108180. homines degunt. Annua comitatus vtriusque tributa, quae in aerarium bellicum inferuntur, 78527. fl. efficiunt.

3. Fertilitatis, magna diuersitas hac ora est. Intra montes enim asperum; fertile contra, & foecundum, in planitie, solum est. Vitis vbique patiens terrenum est, eo tamen discrimine; quod, qua intra montes colitur, serius; qua vero in collium decliuitate, maturius progerminet. Optimum vinum, quod reor, Agriense est. Praeterea, pecorum etiam, porcorum in primis, magnam alunt copiam, incolae: Diu enim noctuque in desertis eos carectis saginant. Piscium copia ingens, suppeditatur a Tibisco; Husonum maxime & Antacaeorum. Metalla, & minerae praeter nitrum, nulla eruuntur, quamuis in monte Matra, auri subinde venae reperiantur. Marsiglius in prodromo suo Danubiali, obseruauit, aurum hic, coloris flaui, seu rutili, adeoque praestantissimum, olim magna in copia, ex venis terrae esse erutum.

4. Ciuitatem celeberrimam habet Agriam, Hungaris, Eger, (z) Germanis, Erlau, Slauis, Jager, dictam. Valli ea insedit, multis prouisa opportunitatibus. Fluuius enim cognominis, mediam a septentrione, scilicet, in meridiem, interluit, & alteram partem Borsodiensi adtribuit prouinciae. A fluuiolo, & vrbs, & prouincia, accepit denominationem. Ornatur praeterea seminario Leopoldo Telekesiano; quin triplici etiam xenodochio. Vinum certe, quod fun-

(z) Anonym. Belae IV. notario, cap. 5a. Egur.

fundunt colles Agrienſium, album non minus, quam rubrum, nobile ſatis eſt, & guſtus optimi. Vrbem arx munita adſedit, monti praerupto, qui vrbem adſpicit, impoſita. Saepius illa, prout aliae etiam Hungariae arces, Turcarum Tartarorumque tyrannidem experta eſt. (a) Vnde facile aeſtimandum, quantum a priſtino flore amiſerit. Nunc, frequens militum praeſidium, cuſtodit arcem, ſuggeſtibus adhuc & propugnaculis aliquot, reſiduis (b). Habent quoque hac in vrbe monaſteria religioſi complures, S. Fran. Seraphici minoris

(a) Ritum eius deſcribit breuiter Iſtvanffi. libr. XVIII. pag. 338.

(b) Ante Belam IV. iam erat decretum, vt quarti principis reg educationem Agrienſis epiſcopus procuraret. Quod, niſi me omnia fallunt, ita faciebat, vt, ſumtus etiam, qui ad educationem principe dignam requirebantur, daret. Vide diploma apud Kaprinay in Hung. diplom. P. II. p. 159. & auctorem topographiae magni regni Hungariae p. 142. Rebus Hungarorum integris, epiſcopus, centum aureorum num. millia, ex bonis & redicibus epiſcopalibus, quotannis percepiſſe dicitur. Fundauerat vero S. Stephanus epiſcopatum hunce, in honorem S. Joan. euangeliſtae. Nicolaus Scmitth in epiſcopis Agrienſibus T. II. p. 66. Subſunt epiſcopo, archidiaconi decem, quorum opera, in viſitandis Parochiis vtitur. Collegium vero canonicorum, tres habet praepoſitos, quorum primus eſt cathedralis, ſeu maior, alter S. Virginis Mariae, tertius Petri apoſtolorum principis. Quisnam primus pedum Agrienſe conſecutus ſit, inter hiſtoricos adhuc diſputatur. Vide P. Nicolai Scmitth Epiſcopos Agrienſes P. I. Poſt cladem fatalem, in campis Mohacs, anno 1526. acceptam, Petrus Perény, Agrienſis epiſcopatus maiorem partem inuaſerat, diutiusque detinuerat. Euerſo ſaeculo ſuperiore, cathedralis arcis templo, venerabile Canonicorum Agrienſium collegium, primum Jaſzouiae, deinde Caſſouiae, ſe deponebat, vnde illud Stephanus Telekeſſius epiſcopus hanc in vrbem reduxit. Hic epiſcopus & ſucceſſor eius Gabriel Erdödyus, iunioris cleri, & nobilis iuuentutis ſeminarium, Georgius vero Foglar, demum patrii iuris ciuilis ſtudium, Agriae poſuerunt, Franciſcus Barkotzy caſtrum egregie muniuerat. Idem

res fratres, qui Saeculo XIII., primum hic in Hungaria domicilium funt nacti. (c) B. Mariae virginis ferui, PP. a SS. Trinitate, & fratres a mifericordia denominati (d), ibi etiam habentur.

5. In caftris feu arcibus, praeter Agrienfem, fuperfunt.

(a) *Hatvania*, Hungaris, Hatvan, in Montis Matrae radicibus, ad Zaduam fluuium refedit, nobile olim propugnaculum. Quod, cum anno 1678. a Turcis recuperaretur; defolatum eft, adeo quidem; vt aegre veftigium, arcis tam celebris tueatur. Oppidum, quod inferius vifitur, augefcit in dies, praepofitura, quae olim ordinis erat Praemonftratenfium, & Capucinorum patrum monafterio memorabile. Aufi funt hic, Johannes Zapolyus, & Stephanus Verböczius, anno 1524. fuis cum affeclis, inauditum antea, Ludouico II. regi, obiicere comitiolum, & Stephanum Bathori palatini dignitate exuere. Anno 1526. omnia, quae hic conclufa fuere, reiecta funt, & Verböczius, cum fociis, profcriptus.

(b) *Szarvas-Kö*, vno diftat milliari Agria in feptentrionem, & ad epifcopum Agrienfem pertinet. Tenet vero cliuum montis. Siluis contigua iam claufa tenetur. Proftabat quoque olim ad montem Matram caftrum Bene. (e)

6.

philofophicas & theologicas difciplinas Agriam deduxit, &, anno 1754. etiam typographiam. Hodiernus epifcopus ampliffimum aedificium pro mufis exftruit.

(c) Kaprin. hift. dipl. P. II. p. 262. & Ladiflaus Turotz in Hungaria p. 262.

(d) Anno 1552. Stephanus Dobo, vrbem hanc incredibili virtute conferuauit, & tredecim barbarorum infultus irritos reddidit. Potitus tamen eft eadem, & arce, barbarus anno 1599. vnde, nonnifi 87. faeculi fuperioris, depulfus eft.

(e) Auctor topographiae magni regni Hungariae (Vien. 1718.) pag. 150.

6. In oppidis haec inprimis numerauerim:

(a) *Gyöngyös*, frequens & elegans oppidum eſt, loco plano & hilari. Coloni Hungari, plurimi inhabitant, inſertis quoque Germanorum nonnullis, qui, & vino, & mercatibus, vitam tolerant, agricultura, ob vile territorium, quod illis obtigit, neglecta. Ceterum, magnam quoque nundinarum laudem habet. Quatuor ſunt in oppido aedes ſacrae, & capaces, & magnificae. Princeps earum eſt, templum S. Bartholomaeo conſecratum, arisque, vna & viginti, exornatum. Alterum S. Vrbani, tertium D. Eliſabethae, quartum aſſumtae in coelos b. Virginis Mariae. Oppido huic olim vicina fuit abbatia Saari.

(b) *Puſztó*, oppidis quidem accenſum eſt, ita tamen extenuatum iam, vt pago ſimilius eſſe videatur. Fluuio Zadvae adſitum, & agro ſterili eſt, & incolis miſeris, qui, parte maxima. Slaui ſunt. Habebat olim caſtrum. Ferd. I. decret. IX. art. 44.

(c) *Gyöngyös-Pata*, copioſum huc vſque, in Matrae radicibus, dimidio a Gyöngyös, in occidentem, milliari ſubmotum: bono quidem, ſed anguſto, agro, gaudet, ab Hungaris habitatoribus cultum.

(d) *Sirokvár*, Sirokvára, oppidum, cum arce, amnis Tarnae ſcaturiginibus clarum, eſt in dominatione Nyariana, & Agria vno milliari recedit.

(e) *Heves*, Heveſinum, caſtrum olim munitum, nunc rudus triſte. Accepit ab eo, comitatus denominationem.

(f) *Ors* & *Detkö*, caſtella duo, recenter eleganterque exſtructa.

(g) *Leleſz*, poſſeſſio vnde nobiles de Leleſz. Non eſt confundendum cum loco cognomine apud Zemplinienſes. Eſt praepoſitura exornata. (*f*)

(*f*) Kapr. l. cit. P. II. p. 227.

(h) *Apez*, in processu Gyöngyösiensi.
(i) *Füred*, in Tibiscano processu.
(k) *Malka*, in processu Tornensi.

7. Thermas, praeter Agrienses, nullas habet, licet illae etiam rarius, & fere nonnisi a comitatus incolis frequententur.

§. XII.

COMITATVS SZOLNOKIENSIS EXTERIOR, propterea sic dictus, quod tres habeat, Hungaria & Transiluania, comitatus cognomines, alterum in Transiluaniae confinibus, qui Szolnok mediocris, in Transiluania alterum, qui Szolnok interior nuncupatur. In documentis antiquis Zovnok, (Zunuk) vocatur.

1. Exilis autem est regiuncula haec, quod Tibiscano solum, vt diximus supra, processu definiatur. Accolitur ad Tibiscum vnico fluminis flexu, plus minus milliaria octo. (g) Caret montibus, plana vbique, subinde tamen siluis etiam. Lignorum, itaque inopia multum laborat. Tota certe, Hevesiensi comitatu circumdata est.

2. Incolae, qui inhabitant prouinciam, tenuis fortunae sunt, iique Hungari, qui, quod frequentibus Tibisci inundationibus, obnoxium agrum excolunt, nec agricolationi, nec vini culturae iustam impendunt operam.

3. Ager regionis fertilis, maximam partem pinguis est: dummodo, & maior incolarum frequentia, & opes suppeterent. Praeterquam enim, quod olim, perpetuo belli motu, misere exagitabantur coloniae; non habebant etiam vnde, vel sibi, vel liberis, vel agris, prospicere potuissent. Paupertas ergo summa, id effecit, vt solum fertile, euiluerit. Pecus maxime proficit, quin ferae etiam diuersi generis. Piscium ingens, ob praeterlabentem Tibiscum, copia hic adest.

4. Vnum

(g) Fluuios & riuos reliquos exponit Timon. in not. Tibis. §. 16. pag. 111.

4. Vnum insedit castrum, idque belli monumentis, sic satis nobile, Szolnokum, Hungaris, Szolnok, (Zolnok) anno 1549. Ferdinandi Caesaris iussu, a comite Salmensi (*b*), excitatum. Summa id arte exstructum fuit; cui naturae etiam accessit praesidium. A meridie enim, Tibiscus; Zadva, a septentrione, arcem adluunt, adeo quidem; vt, partibus illis, haud queat oppugnari. Formà ei quadrangula fuit, fossa ampla, triaque fortissima propugnacula. Singula haec, magnam, Turcorum tempore, ruinam passa sunt. Licet vero ita emunitum fuerit Zolnokium, vt exercitui Turcorum vniuerso, resistere potuisse crederetur, anno tamen 1552. in barbari deuenerat potestatem. Accedente namque hoste, praesidiarii, animis deiecti, antequam hostis arcem circumdaret, profugerant, vacuamque eam reliquerant. Istvanffi lib. 18. Anno 1685. illam, Mercyus, felici stratagemate, a iugo Turcico, liberauit. Habent pontem, Szolnokienses, nusquam, praeter hic, qua Tibiscus nauigabilis est, flumini, eo loco, quod Zadvae accedit, impositum. Oppidum vastum succedit arci, cui elegans PP. Franciscanorum claustrum, inaedificatum visitur. Habet & salis depositorium, regio. idque amplo beneficio, adsurgens. Ciues oppidi Hungari sunt, Germanis mixti & Slauis.

5, Oppida pauca reperias, nec plura fors duobus; quae sunt:

(a) *Thur*, seu Thuro, quinque Szolnokino milliaribus, disiunctum. Ad ripam amnis Berettyó, in meridiem accessit. Hungari inhabitant, frequentibus coloniis. Oppidum hoc, vna cum Tisza-Varsan, Georgius, regni Rasciae despotus, in consanguineum suum Paullum Birini de Verona, anno Christi 1412. transtulit. (*i*)

Q 3 (b)

(*b*) Istvanffi principio libri, XXX. p. 679.

(*i*) Mathias Coruinus vtrumque oppidum, Michaeli Szilagyi, contulerat. Kaprinay in Hungaria diplom. P. II. p. 481.

(b) *Poroſzlo*, adſedit, dextro Agrii amnis margini, ſolo fertili, quod commodam incolis Hungariae agricolationem facit. (*k*)

(c) *Janos Hidgya*, Joannis pons, oppidum Praemonſtratenſium praepoſitura celebre, quod, in citeriore Zadvae ripa conſedit.

(d) *Vanyd Dova*, in Tibiſcano proceſſu.

(e) *Török Szent Miklos*, in eodem proceſſu.

§. XIII.

COMITATVS CSONGRADIENSES, CHONGRADIENSIS, Hungaris, Csongrád-Varmegye, Slauis, Csongradska Stolice, Germanis, die Tſchongrader Geſpanſchaft, cui nomen celebris munitus olim locus Csongrád, impertiuit.

1. Amoenam regionem continet, vbique fere locorum, ſi colliculos quosdam exceperis, planiſſimam. Sua autem, ab oriente, in Bekeſſienſium & Cumanorum maiorum; in minorum, ab occidente, finibus, capit exordia Quod vltra ſeptentrionale eſt Peſthienſi & Szolnokienſi; quod vero meridionale, Csanadienſi, Temeſienſi, Báts & Bodrogienſi prouinciis interiacet. Praeter alios, ad Tibiſcum, qui totum, quantus quantus eſt, comitatum, a ſeptentrione in meridiem, interfluit, margines, pauca ſilueſcere videas. Partem eximiam prouinciae, cum comitatus alii, tum Temeſienſis in primis banatus Batſienſisque regio, abſorpſit. Frequentes ob fluminum, quibus irrigua eſt, copiam, paludes tolerat. Quod enim integer comitatus ambitus depreſſiore ſolo eſt; illapſas ſubinde aquarum inundationes, perpetuo quaſi ſinu retinet. Interluunt prouinciam, Ti-

(*k*) Eſt memorabilis compoſitione Belae IV. & Steph. V. regum Hungariae, cuius tabulas Mathias Bel. notitiae regni Hungariae T. I. inſeruit. Anonymus Belae regis notar. c. 23. eam, Purozlu vocat. Putatur quoque hic quaerenda eſſe praepoſitura vetus de Kevy, ſeu de Kö, Kaptin. in hiſtor. dipl. P. II. p. 366.

Tibiſcus, Chryſius Kurtza, Vidre, Veker, Korogh, Kontre, Nya'as Er & Száraz-Er.

2. Incolae diuerſi habitant. Praeter Slauos enim frequentes Raſcianos, militiae deditos, plerumque Hungaros etiam, genuinos illos, ſuſtentat. Germani certe pauci admodum, in vrbe Szegedienſi, & pagis aliquot, habitant. Loca in vniuerſum hic ſunt pauciſſima, ſcilicet, praeter Szegedinum. 2. oppida, & 5. pagi, in quibus tamen 30740 homines degunt, & in aerarium bellicum quotannis fl. 24109. x. 10. adminiſtrant.

3. Frumenti & vini prouentum eadem foecunditate admittit prouincia. Illud enim, vltra Tibiſcum, ſic ſatis proficit. Hoc frequentius licet; ignobilius tamen colitur. Pecoris, ob paſcua egregia, prouentu, maximam laudem meretur regio. Nam, non procerae modo ſta urae; ſed copioſum etiam ſuſtentant incolae. Feras, praeter luporum, vulpium, leporumque genera, pauciores admittit. Piſcium profecto, ei tantum ſuppetit, quantum vix alibi.

4. Vrbs libera regiaque, ſimul & munimentum fortiſſimum, *Szegedinum*, Szegedin prouinciam, vicinamque oram, tuetur. Quam Germani, communi cum Hungaris & Slauis, nomine, Szegedin adpellitant: animas numerat 16160. Aſſidet Tibiſco, ea, qua ad Temeſienſes deproperat parte, &, qua Maruſius Tibiſcum ſubit. Aliquot vicibus Turcarum ſuberat poteſtati, perpetua tamen Caroli d. Lotharingiae, anno 1686. virtute, demum Caeſari adſertum. Ipſa exterior forma, quadrangulum refert, rotundis circum munitionibus, incinctum. Vrbs iucundi adſpectus eſt, pulchris ſubinde domunculis ornata. Tres habet aedes ſacras. Ipſa vrbs etiam in tres partes diuiſa eſt, ſuperiorem, inferiorem, & mediam. In media, olim arx erat, Palanka dicta, duobus propugnaculis in Tibiſ-

cum procurrentibus, exornata, (*l*): ante annos aliquot PP. scholarum piarum ludum litterarium in eadem apperuerunt. Thracum certe illud, ritus Graeci, oratorium, totius nationis Graecae, tam, ob murorum proceritatem, quam decorem etiam internum, pulcherrimum est. Suburbia duo sunt, quorum superius alterum, alterum inferius, dicitur. In suburbii superioris margine depositorium salis visitur, eleganti opere exstructum. Piscinas multas, circum vrbem videas, quod ciues, piscibus etiam quaestum faciant. Boum quoque mercatu non incelebris est. Praesidium, mox Germano, mox Hungaro milite constat, & validum, & copiosum. Castrum enim ipsum amplitudine Vindobonensi non multum cedere dicitur. Conualuit illud demum liberalitate & prouidentia d. Caroli VI. imperatoris regis Hungariae. (*m*)

5. Castra olim multa, regionem insidebant, quae, Hungari fossata nominant. Octo eorum nominare placet, quorum pleraque, vel interciderunt iam, vel ruinae sunt proxima. Nomina eorum sic habent:

(a) *Csongrad*, molis vetustae arx, ad quam oppidum est, penes quod, Chrysius, in Tibiscum se exonerat. Mutuauit arx comitatui nomen.

(b) *Szentba*, nobili de Turcis victoria, Eugenio duce, 1697. reportata nobilitatum est. Intererat expeditioni summus Turcarum princeps Mustapha II cladeque tanta fractus, sequente anno a D. Leopoldo pacem expetere cogebatur.

(c)

(*l*) Kaprin. in histor. dipl. P. II. p. 483. 233.

(*m*) Olim, celebre fuisse Szegedinum, inde discas, quod XX. & aliquot aedes sacras numerauerit. Confecit ibi 1444. pacem gloriosam cum Turca Wladislaus I. rex Hungariae, quam, cum post aliquot menses, rupisset, castris, & vita. apud Varnam exutus est. Matthias Coruinus, hac in vrbe, anno 1459. comitia cum ordinibus regni celebrauit.

(c) *Földvár.*
(d) *Martonos.*
(e) *Kis-Kanisa.*
(f) *Osztrova.*
(g) *Petroszda.*
(h) *Szegvár.* Haec illa sunt castra, quae temporum iniquitati subiecta fuere.
(i) *Zeer*, alias Puszta Szer, ad quam abbatia de Zeer Monostra prostabat. (*n*)
(k) *Nagylak*, (Nagylák) castrum olim non ignobile fuerat. (*o*)

6. Tria oppida numerat comitatus:
(a) *Vásárhely*, a nundinis sic dictum, quibus hodiernum etiam proficit. Duobus in orientem milliaribus distat Szegedino, paludi Hod adpositum. Colitur ab Hungaris, pecuaria re vitam sustentantibus.
(b) *Szentes*, tribus a priori milliaribus recedit, Kurtzae riuo meridiem versus adsidens. Populosum & hoc oppidum est, aeque ab Hungaris habitatum.
(c) *Mint-Szent*, fanum omnium sanctorum, priori quidem minus, quod tamen agrum frumenti & graminis feracem habet. Olim Csongrado sequentia adhuc oppida erant vicina. Bozzás, Ravaszháza, Kuthás, Perek, Hethes, & D. Ladislai. (*p*) Possessio quoque Likas-egyház, ad hunc comitatum spectabat. (*q*)

7. Supremum comitem habet LEOPOLDVM e comitibus PALFFY ab Erdöd, perpetuum in Veresкö, &c.

(*n*) Kaprinay in hist. diplom. P. II. p. 121. seq.
(*o*) Nicolaus Olahus in Hung, lib. I. c. 16. §. 4.
(*p*) Olahus in Hungaria lib. I, c. 16. §. 4.
(*q*) Decret. Bachiense anni 1519, art. 51.

§. XIV.

Sequitur regio Jazygum, seu Philistaeorum, Jazság, quae in editione prima est intermissa. Est ea Hevesiensi cum comitatu cis- Tibiscum, Pesthiensique comitatui perquam vicina. Subest, cum vtraqueCumania, potestati palatini, eoque non existente, locumtenenti regio. Palatinus, apud nos, iam compluribus saeculis, iudex Cumanorum & Jazygum vocatur. Jazy potius, a patria voce Jász, seu Jiász, quod pharetram significat, quam Jazyges nominandi sunt. In antiquis priuilegiis, mox pharetrarii, mox balistarii, vt & Balistaei nominantur. Hinc Philistaeorum nomen est enatum. Notes vero in regione hac

1. Positum. Habet ea, a septentrione & ortu, Hevesiensem; a meridie, Szolnok exteriorem, ab occasu Pestiensem comitatus

2, Incolas habet Hungaros, antea vero, opinione nonnullorum, Jazyges metanastas, quos, cum prioribus, vnam in gentem, moresque coaluisse, plerique existimant.

3. Superbit regio haec, prouti multae vicinae, frumento, & pascuis, gregibus pecorum alendis percommodis.

4. Vrbes liberas & arces nullas habet, oppida vero sequentia, quae tamen nonnulli geographi ad comitatum Heuesiensem referre malunt.

(a) *Arok Szálás*, Arak Szálásinum, oppidum copiosum, Gyöngyösino vicinum, quod agrum frumenti & graminis feracem habet.

(b) *Fen-Szaru*, Féoszarva, pagus priori vicinus, prope Zadvam.

(c) *Alsó Szent György*, fanum S. Georgii, pagus, qui elegantem occupauit planitiem.

(d) *Mihalyteiek*, Mihalytelge, Mihalytelekinum pagus benigno praeditus agro.

(e) *Jászberény* Jaszberénium, oppidum populosum, quod, re inprimis frumentaria proficit. Defluit per

per illud fluuius Zadva rotas aliquot molares agens, quae, non parum commodi adferunt oppidanis. Habet hodiedum templum, destructo coenobio, SS Saluatori sacratum, a quo tota S. saluatoris prouincia denominatur. Est hic templum Franciscanorum reformatorum. (r)

(f) *Apati*, Apatum vicus frequens qui speciem oppidi praefert, & rem pecuariam, frumentariamque procurat. Ad locum hunc Kraszna fluuius Tibisco miscetur.

§. XV.

Vltimo commemoranda est, Cumanorum maiorum regio, seu Kunság, a comitatu Heuesiensi separata, & iurisdictioni palatini, eoque non prostante, locumtenentis regii, cum Jazygum regione, subiecta. De ea notes.

1. Positam eam esse Trans Tibiscum, & Zaboltsensi, Bihariensi, Békesiensi, atque Szolnokiensi comitatibus coörceri.
2. Incolas ei esse Hungaros, qui Cumanorum posteri esse dicuntur, licet eandem, cum Hungaris nostris, linguam, indolem, moresque habeant. In Iazygum & horum Cumanorum regione 81100. animæ numerantur, in aerarium bellicum 57173. fl. 6. xr. quotannis mittunt.
3. Abundare regionem inprimis frumento atque pascuis, & propterea pecorum greges magnos alere, ligni tamen penuriam experiri.
4. Vrbem quidem liberam & regiam nullam habet, loca tamen, quae in ea occurrunt, & notari merentur, sunt sequentia

(a) *Madrász*, Madraszinum, possessio priuilegiata copiosa Zaboltsensium in limite, cui frumento & gra-

(r) Ad Jászberény quaerunt nonnulli scriptores regiam Attilae, quae, reliquis omnibus, splendidior erat. Ostendunt hic etiam cornu, quod tuba Leelis capitanei Hungarorum fuisse creditur, quo is Conradum I. regem Germaniae feriisse narratur. Fabella!

gramine ferax obtigit ager, ſiluis tamen & lignis deſtituitur.

(b) *Kolbaſzek*, Kolbáſzékinum, poſſeſſio populoſa, iis commodis; iuxta ac incommodis, quibus prior, obnoxia. Ante 100. annos deſolata, & in praedium campeſtre conuerſa erat.

(c) *Kartzag-Vjſzálás*, Kartzag-Vjſzáláſinum, magnitudine & frequentia prioribus maius, nundinisque annuis frequentatum oppidum.

(d) *Kun-Hegyes*, Cunorum ſedes, ampla & frequens. Tota, ab eo, regio accepit denominationem.

(e) *Kis Vjſzálás*, poſſeſſio priuilegiata ampla & incolis referta.

(f) *Turkeve*, Turkevinum., poſſeſſio priori ſuppar, oppido Tur vicina.

(g) *Kun Szent Mártony*, Szent Martonyum, ad limites comitatus Csanadienſis procurrit.

Apud Cumanos quoque nonnulli quaerunt abbatiam Beel. B. V. Mariae aſſumtae in coelos ſacratam. (*s*)

(*s*) Lad. Turotz in Vngar. p. 184.

MEM-

MEMBRVM IV.

DE

HVNGARIA TRANSTIBISCANA.

Ora est intra Tibiscum & Transiluaniam, inde a Valachia, ad Galliciam vsque protensa. Erat olim Daciae pars, quam Trajanus in Romanorum redegerat prouinciam. Placet ab inferiori parte descriptionem eius ordiri, & quidem a prouincia illa, quae hucdum banatus Temesuariensis vocabatur.

§. I.

BANATVS TEMESVARIENSIS seu TEMESIENSIS, Hungaris, Temes-Vármegye, Germanis, die Temeschwarer-Gespanschaft, quod nomen a Temesvár arce petiit. Banatus nomine forte propterea insignitus, quod banatus Severiensis (Szöriniensis) qui in finibus Valachiae panditur, Caroli VI. providentia, cum eo connexus fuerit. (*a*). Est vero

1. Magni ambitus prouincia. A confluente enim Marusii & Tibisci ora incipit, Transiluania demum & Valachia, post 16. fere milliarium excursum, terminatus. Adeoque, ab ortu, Valachia, atque Transiluania, ab occasu vero, Tibisco fluuio includebatur, a septentrione, Marusium fluuium, a meridie, Istrum limites habebat. Superficies eius

443.

(*a*) Postquam Turca Saec. XV. Severiensem (Zewrin) urbem expugnasset: bani honores in comitem Temesiensem translati sunt. Comitatus tamen Temesiensis, antequam sub Turcicam potestatem deuenisset, longe minor erat, quam banatus sub Carolo VI. atque Maria Theresia, quod ex sequentibus elucebit.

443. Germanica milliaria in orbe terraqueo occupabat (*b*). Plures comitatus absorpsit, dum in eam terrarum molem, quam hucdum habuit, euasit. Posteaquam enim comitatus Torontalensis, quem interiisse putabant plerique, integer, ingens etiam comitatuum Csanad & Arad portio, a Turcis recuperata, ei, ut multi opinantur, accenseretur; accreuit adeo, vt regnum fere, ob tantos tamque vastos accessus, minimum ducatus, vel principatus, dici mereretur. Positum, qua in occidentem aspicit, media regione, campestrem & fluuiis irriguum innumeris accepit: ortum versus montes adtolluntur, quorum Verschetz praecipuus est, alto iugo adsurgens.

8. Valachi incolebant hucdum potissimum prouinciam, quorum sermo, multum idiomatis Latini retinet. Ferox natio & prædationibus dedita nimium (*bb*), Rasciani, cum Hungaris, qui tamen ad paucitatem redacti sunt, huc accessere etiam, quos Germani, & copia, & sedulitate, longe antecellunt. Ab anno in primis 1763. alienis quoque advenis hic se deponere, domiciliaque excitare licet, quod, qui faciunt, multas ab Augusta regina MARIA THERESIA, accipiunt immunitates. Clementia hac exciti superioribus annis, undique confluebant coloni, in primis tamen ex vicina Bulgaria, Germania, Lotharingia, atque Italia.

9. Reliquus prouinciae, qua incoli potest, habitus, ad fertilitatem nimium inclinat. Multa antea deserta, aderant, quae, ob soli sterilitatem, vel frequentes fluminum eluuiones & paludes, incoli non

---

(*b*) Vide celeb. Franc. Griselini in Versuch einer Politischen, und natürlichen Geschichte des Temeschwarer Banats in ersten Theil p. 5. (Wien 1779.)

(*bb*) de his, post alios, erudite differit Johann Thunmann in der Geschichte der östlichen Völker. im ersten Theil (Leipzig 1774) videntur hic antiquissimi provinciae huius esse accolæ, quos Hungari, sub finem saec. IX. huc se inserentes, deprehenderant & subjugauerant.

non poterant. Vinum, quod proferunt montes, nobile est, hoc tamen vitio laborans, quod ultra anni spatium retineri vix possit. Abundat tritico, siligine, hordeo, avena, fagopyro; Mayz vulgo Indico seu Turcico tritico: Török Buza: oriza, herbis Nicotianis, melle, cera, pecore, pecude, sebo, cerasis, pomis persicis, prunis, ex quibus genus potus conficiunt, quod in deliciis est apud multos. Incolae illud Rakye, (alias Sliwowicze) vocant. Aliis quoque fructibus regio, fertilitate, nulli austriaco Hungaricae provinciae facile cedens, abundat (c) Artes quoque manuarias curare inceperunt diligenter, in primis ea, quae ex serico parantur, quod in acceptis praefecto provinciae comiti Francisco Mercy, & ejus successoribus, referunt. Aer olim aliquibus incolis, ob paludum ac lacunarum copiam insasalubris erat: iam tamen industria & sumtibus ingentibus prouidentissimae Augustae Reginae aquis inde in proximos fluuios deductis, malum hoc feliciter sublatum est. Visa est inprimis hac in re, opera Maximiliani Fremant mathematici ex Belgio advocati. Inter lacus celebriores adhuc prostantes primas tenent Illancerensis, atque Albonarensis. Qua montes prominent in regione, aëre sano eadem perflatur. Neque solum id tamen est, quod praestant beneficium sed gramen etiam herbae medicatae, ligna varii generis, metalla atque minerae, in illis deprehenduntur. Procrescunt vero in montibus atque siluis, quercus, hedera helix (Epheu) nux vomica (Nußbaum) avellana (Haselbaum) Fagus carpinus (Roth und weis buchen) sicomorus, (Wilder feigenbaum) pinus cebra, (die Fichte) larix, (Lerchenbaum) tilia, populus betula, (Birke) prunus siluester, (der unächte Agatienbaum) Neque dumeta desunt, receptacula ferarum atque volu-

(c) Griselini loc. cit. P. I. p. 151. seq.

volucrum peridonea (*d*). De piſcium & venatus frequentia, conjectare iam facile licet. Metalla hic magni aliquando, vt ſunt indicia, reditus futura creduntur. Summam operam cupro eruendo impendunt, tanto fructu, ut neceſſe iam fuerit, praefecturam metallicam peculiarem conſtituere. Argentum parcius occurrit, auri fere nonniſi granula, quae ab arena in fluuiis occurrente, per loturam ſecerni ſolent. Montes celebriores, in quibus metalla mineraeque, deprehenduntur, ſunt, Oravicza, Dognaska, Boſniak, vel nova Moldava, Saska (*dd*). Aquae etiam minerales aliquibus in locis proſtant, inter quas, illae, quae ad Mehadiam frequentantur, primas ſibi depoſcunt. Pecora & pecudes plurimum patiuntur a muſcis, quae, quia ex monte Columbano agminatim advolare creduntur, Columbanenſium nomen retulere. Solent ſtragem magnam edere in grege, quem inuadunt & conficiunt, neque hucdum remedium aliquod hoc genus inſectorum enecandi induſtria curioſorum naturae detegere poterat (*e*). Incolae banatus ſunt alias frugales, veſtiendique rationem ſimplicem conſectantur. Mares antea curribus conficiendis erant intenti, feminae textoriam artem plurimum exercebant, jam aliis etiam occupantur. Fluuii praecipui ſunt, Temeſus, Beg, vel Bega, Pirda, Berſova, Nera. Temeſus navigabilis eſt redditus, & canalis ex eo, uſque plagam Petrovaradinum reſpicientem ductus. (*f*)

4. De fatis nunc & ratione adminiſtrandi banatum hunc

(*d*) Griſelini loc. cit. P. II. p. 10. 16.

(*dd*) Ignatius von Born Briefe über mineralogiſche Gegenſtände &c. V. VI. VII. VIII. IX. und X. Brief (Frankfurt und Leipzig 1774.)

(*e*) De his eleganter diſſerit Griſelini in Litteris ſuis P. II. p. 124. ſeq.

(*f*) Griſelini P. II. p. 9. 10. Born in zweyten Briefe.

huc aliquid commemorandum. Ferdinando I. atque Maximiliano II. in Hungaria regnantibus, Turca cum eos comitatus, ex quibus banatus sæculo hoc est conflatus, tum vicinos, sub suam potestatem traxerat. Quidquid recuperandorum illorum causa suscipiebatur, totum in irritum cadebat, donec Eugenius Sabaudiae Dux Caesarianum exercitum ad illum, anno 1716 adduceret. Tum quidem etiam barbarus Temesuarum, a quo salus totius regionis pendebat, strenue defenderat, virtute tamen incomparabilis ducis in eas angustias reducebatur, ut victricibus armis D. Caroli VI. cedere, indeque signa reducere cogeretur. Receperat ergo Imperator totam provinciam, sed, in desertum triste propemodum conuersam Coloni admodum pauci ibi relicti, vici incinerati, arces & oppida desolata, adeoque vix umbra pristini floris obseruabatur. Providentissime factum est, quod prouinciae armis victricibus recuperatae, comes Franciscus Mercy præficiebatur. Is enim, omnes curas suas eo defixit, ut regionem euastatam pristinum in locum reponeret. Evocabantur eo undique homines, surgebant pagi ac oppida, curabatur res agraria, pecuaria, exquirebantur opifices atque artifices, qui, quod tellus foecunda proferebat, in meliores usus verterent (*ff*). Res, ut ex voto succederet, banatum novum in aliquot districtus distribuebat (*g*). Antequam tamen coepta perficeret, & laborum herculeorum fructus degustare coepisset, infaustum inter Christianos & Turcam

(*ff*) Griselini pag. 156. seq.

(*g*) Districtus initio erant 12. videlicet: Temesvár, Becskerek, Csanád, seu S. Nicolaus, Csakova, Lugos, Verschetz, Lippa, Facset Karansebes, Orsova, alias Mehadia, Pancsova, & Palanka. Hi districtus fuere in banatu, in opposita vero Servia tres. Grisel. l. c. P. I. p. 154. Born l. c. p. 6.

cam erupit bellum. Annus 1738. fatalis erat banatui, hostis enim totum fere eundem percursabat, diripiebat, urebatque possessiones obvias. Nisi anno 1739. pax rediisset, fuisset actum de prouincia tota. Ab armis ergo, ad instaurandam provinciam accedebatur. Advolabant undique magno sumtu & præmiis adlecti coloni, ponebantur ædificia, vici ac oppida. Navavit hac in re apostolicæ Reginæ, post comitem Mercy, operam insignem Lib. B. Engelshoffen. Quia vero stagnans aqua conatus non parum morabatur: advocabantur mathematici atque operarii, qui canales complures ducerent, quibus moles aquarum in proximos rivos derivaretur. Cecidere pleræque operationes pro voto, eoque consilio, & salubritas incolis procurabatur, & agraria pecuariaque res proficere coepit. Reliquum erat, ut subditis novis adversus barbaros vicinos securitas procuraretur. Ad limites ergo provinciae inprimis ad Danubium miles illocabatur, & varia contubernia excitata ingrediebatur, ut eo frequentius, in artibus bellicis se exercere, & in globos, necessitate poscente, coire potuisset. Novus banatus ab administratione bellica pendebat, usque ad annum 1751. quo Excelsa Camera Aulica Viennensis curam illius suscepit, novosque Magistratus illi praefecit. Ita iuribus & institutis Austriacis regi coepta est provincia. Præses, sex ad latus acceperat consiliarios, qui, munera minora inter eos distribuebant, quos, ad rem gerendam, præ reliquis, aptos esse iudicabant. Primus præsidis hic honoribus auctus anno 1752. comes Perlas, celebrabatur ad annum 1768. quo prouincia decessit. Pars nihilo minus banatus, loca inprimis Danubio atque Valachiae vicina, sub bellica administratione ac præfectura reliquebatur. (*h*). Neque rei metallicæ procuratio administrationi huic

(*h*) Griselini P. I. p. 178. seq.

huic novæ tradita, ſed ſub peculiari collegio, quod montaniſticum vocabatur, relicta fuerat (*hh*). Ita gubernabatur banatus uſque ad annum 1779. quo idem ad corpus, a quo Sæculo XVI. avulſus fuerat, reducebatur, iuraque ac prærogativas, quibus comitatus regni apoſtolici, ordinesque illius, gaudent, conſequebatur. Placuit autem illum in quatuor partiri partes, quarum, tres priores, tribus novis comitatibus Hungariam auxerunt, quarta militi, pro ſecuritate regni tuenda in limite regni ad Danubium & Valachiam excubanti, relicta eſt. Sunt vero comitatus hi Torontalenſis, Temeſienſis, atque Kraſſouienſis.

5. Incolunt ergo tres hos comitatus, ac præfecturam confiniorum Temeſienſem, Valachi, antiquisſimi regionis accolæ, Raſciani, Bulgari, Germani, Itali, Galli, novi coloni, antea Zingari vocati, nonnullis in locis Judæi. Omnes hi in numerum ante aliquot annos redacti, 317928. perſonas effeciſſe dicuntur. (*i*). Maior procul dubio numerus prodiiſſet, ſi calculus accuratius ductus fuiſſet.

§. I.

PRAEFECTVRA CONFINIORVM TEMESIENSIS, in qua ſtationes ſunt certae, pro milite regni limites cuſtodiente. In qua

1. limites notandi. A ſeptentrione imininet Kraſſovienſi, Temeſienſi, atque Torontalenſi comitatibus, ab ortu, Valachiæ, ab occaſu, Bodrogienſi, a meridie, Danubius illam avellit a Servia.

2. Regio hæc paludibus multis interrumpitur, adhaec ſiluis, & montibus horridis, in medio plana ſunt

 omnia,

(*hh*) Idem pag. 169.

(*i*) Valachorum ex gente 181639. Raſcianorum 78780 Bulgarorum 8682 Zingarorum 5272. Germanorum, Lotharingorum, atque Italorum 43201, Judæorum 353. connumerata ſunt. Griſelini loc. cit. p. 195. 196.

omnia, nisi quod arenæ moles hic atque illic in colles adsurgat. Montes Valachiæ vicini, cupri, plumbi atque ferri sunt feraces. Ligna non desunt regioni, neque prata amoena, aut pascua frumentaque.

3. Præter milites in stationibus suis excubantes, Germanos, prouincia alit, Rascianos atque Valachos. Oppida ac pagos numerat 158 prædia 27.

4. Merentur vero, præ reliquis, sequentia loca notari.

(a) *Meadia*, Mehadia, ad ortum prope Valachiam rejecta. Munita olim fuerat aggere tumultuario opere excitato, quem tamen Turcæ, Temesvarino 1716. depulsi, disiecerant. C. Mercy exercitus Caroli VI. dux, illam iterum restituebat. Anno 1738. hostis impetum sustinuerat. Habentur hic quoque thermæ præstantes, diversis nominibus insignitæ, ad quas homines undique confluere solent. Insigniores intet illas sunt, quas jam Romani *ad aquas* vocabant, rudera antiquitatis passim ostendentes. Certe, aliquot statuæ Romanæ inscriptionibus exornatæ 1736. detectæ, dignæ iudicabantur, quæ Vindebonam deveherentur, & in atriis bibliothecæ Augustæ ponerentur.

(b) *Orsova*, (*ii*) locus iam Romanorum temporibus munitus. Duplex antiquis Orsova fuit, Moesiæ altera, altera Daciæ. Vtriusque loci mira est amoenitas, & naturalis quædam, accedente Danubio, munitio. Nova Orsova est in insula Danubii. Eugenius dux Sabaudiæ, post ultimam a Turcis recuperationem, novis operibus adeo eandem communiverat: ut, vasta iam mole, Danubio dominetur Plerique cives sunt Rasciani, quibus & Germani, Valachis quoque adjectis, intermixti sunt. Anno 1738. barbarus Orsovam hanc intercepit, cui demum, sequenti anno, pace Belgradensi relicta est.

Or-

(*ii*) Anonymo Belæ R. Notario c. 44. Vrsova.

Orſova vetus, medio milliari a priori diſcedens, anno 1739. ſub Caroli VI. poteſtate manſit.

Magis verſus occaſum recedit.

(c) *Moldava*, olim locus egregie munitus, iam vicus vilis ad Danubium. Incolitur maxima ex parte a Raſcianis. Vicina illi eſt

(d) *Uj-Moldava*, Nova Moldava, ſeu Boſniak, memorabilis officinis ad metalla liquefacienda erectis. Alit Germanos atque Valachos. Aſſidet illi mons, ex cujus venis cuprum praeſtans & plumbum eruitur.

(e) *Uj-Palanka*, Nova Palanka, verſus occaſum recedit, opportuno loco poſita. Præter quam enim quod vaſtis arrigitur munitionibus, ad Karaſſi etiam amnis alveum adſedit, eo loco, quo duplici in Danubium cornu influit. A Turcis fugientibus anno 1697. deletum fuit, Mercyi virtute ſubinde adſertum. Anno 1738. opera militaria, barbarus iterum disiecerat.

(f) *Pancſova*, Panczova, viculus olim tenuis, quem Chriſtiani, poſtquam fama ad eos de Belgradi expugnatione veniſſet, aggere & foſſa circumcluſere. Proximus ſiniſtro Temeſienſi lateri accedit, milliari uno a Danubii alveo recedens. Hunc a Turcis recuperatum, Mercyus novis munitionibus ita cinxerat, ut iam forte ſatis notabile propugnaculum Pancſova evaſerit, ea in primis parte, qua orienti obtenſa, occidentem & meridiem verſus, oppidum adnexum habet, æque etiam vallo munitum. Locus ipſe hilaris eſt poſitus & longe iucundiſſimi, in laetam undique planitiem proſpectus. Inter Pancſovam & Orſovam, olim erat Haran, ſeu Haram, a quo comitatus Horonenſis, aliquibus Haronenſis, priſcis vero Haromenſis denominatus eſt, de quo Verböcz in catalogo comitatuum, & Mathias Corvinus decret. IV. art. 6, §. 2.

Præfecturae huic vicina est provincia illa, quæ banatus Szörenienfis, Latinis, Severienfis vocabatur. Adpellatur ab urbe vetere Severienfi (Zewrin), Hungaris Szörény dicta, vel, a vico fupra pontem Traiani pofito, ædicula S. Severini memorabili (k). Pace Belgradenfi anno 1739. Turcarum adfertus eft ditioni, una cum ea portione Valachiae quæ, pace Paffarovicenfi, anno. 1718. fub Caroli VI. poteftatem redierat. E regione vero Semendriæ proftabat, Kevy (Keu, Köv & Kevy) ecclefiam habens collegiatam (kk:) a quo comitatus Kövienfis, Dombo, Buthozin, S. Ladislaus & Peth (l)

§. II.

COMITATVS KRASSOVIENSIS, feu KARASSOVIENSIS (Crafovienfis) a fluuio Karaffó, vel Kraffo, denominatus (m), retrufus ad Tranfiluaniam atque Valachiam, filuis, montibus, atque alpibus in altum evectis, confpicuus. Efferuntur aliquot ex montibus metalla, in primis cuprum præftans, plumbum atque ferrum. Abundat præterea frumento, lignis variis, pafcuis, herbis præftantibus, feris, volucribus, atque pifcibus.

1. A feptentrione habet comitatum Aradienfem, ab ortu, magnum principatum Tranfiluaniæ, a meridie

(k) Conditor banatus huius exiftimatur effe Bela IV. Rex. vide P. *Sam. Timon. in imagine Hungariæ novæ Cap.* V. in primis tamen P. Pray *in differt. ad annales Hunnorum* &c. p. 134. ubi de origine banatus huius erudite differit.

(kk) Proftabat hic primum abbatia S. Benedicti familiæ, in honorem protomartyris S. Benedicti, per Belam ducem regis Geifæ II cognatum fundata, & ampliffimis fundis reditibusque aucta, initio vero fæculi XIII. remotis inde Benedictinis canonicis regularibus ad S Auguftini regulam fe componentibus tradita. Innocentius III. *Pontifex in epift. I. p.* 145, 229. (ex edit. Steph Baluzii). Confecutum eft Capitulum hoc fubinde iura conventuum tabulariique publici.

(l) Nicol. Olah. in Hungar. Lib. I. cap 17. §. 3.

(m) Joan. Thurocz Chron. Hungar. P. II. cap. 63.

die, præfectura militari Temesiensi, ab occasu, comitatu Temesiensi clauditur.

2. Incolas accepit Rascianos, Valachos ac Germanos, quorum priores, rem agrariam & pecuariam inprimis curant, posteriores vero in metallis ac mineris eruendis conquirendisque occupantur.

3. Anno 1779. in ordinem reductus comitatus hic, quinque processus sortitus est, in quibus duo oppida sunt, pagi vero 225. Nomina processibus sequentia sunt data.

(a) *Lugosiensis*, ab oppido cognomine denominatus, præter quod, 35. pagos complectitur.

(b) *Kapolnasensis*, a pago Kapolnas, octo supra 40. locis inhabitatur.

(c) *Oraviczensis*, principem locum Oravicza habens, cui nomen quoque suum debet.

(d) *Karansebesiensis*, ab oppido Karansebes 40. pagos numerans.

(e) *Bulcsensis*, totidem, quot prior, pagis instructus.

4. Oppida hic sunt:

(a) *Lugos*, celebre oppidum, ita priscis temporibus munitionibus cinctum, ut potuerit omne negotium hosti facessere. Non declivi enim modo, inter siluas positu, sed humido etiam lacustrique terreno resedit. Nunc iterum, post frequentes hostium incursiones & Germanorum, & Rascianorum, Valachorumque accessu increscit, qui quidem, & excolunt oppidum, & consulunt rei rusticæ. Numerat namque 900. domos.

(b) *Caransebes*, (Karansebes) Romanorum olim colonia. Celebris vrbecula fuit fluvio ejusdem nominis arcte adposita. Nunc, posteaquam a Turcarum tyrannide vindicata esset, eleganter exsurgit denuo. Habebant hic olim complures equestris ordinis viri sedem. Pertinebant vero, cum priori oppido, ad Severini præfecturam. Sunt, qui existimant, hic olim Ovidium in exilium actum, habitasse. Anno 1625. indulgente Ga-

R 4 briele

briele Bethlenio Principe Transilvaniæ, duo PP. Societ. Jesu, huc deducti, rem sacram procurare coeperant. Impetraverat id ab eo precibus adfinis eius Michael Károlyi. Vinum Karansebesiense alias est generosum, pisces quoque præstantissimi in hac ora dantur.

5. Notari præterea merentur

(a) *Resitza*, in Lugosiensi processu, in quo chalybs paratur, in furnis glandes ferreæ pro machinis, varioque usu bellico instrumenta, peræque parantur.

(b) *Krassova*, vel Karassova, amoenissimus locus, a fluuio præterfluente, ut comitatus nomen indeptus, in Krassoviensi processu.

(c) *Facset*, arcem habet ruinæ proximam, in processu Kapolnasiensi.

(d) *Oravicza*, præcipuus metallicus locus, hac in ora, quæ præstantissimum cuprum in copia producit. Faciebant id jam Turcæ, antequam hinc migrarent, non tamen ea industria, qua hodierni Germani hic degentes.

(e) *Dognaska*, a Germanis & Valachis inhabitatur, qui, in cupro plumboque eruendo in vicinis montibus strenue occupantur. Cupro argenti particulæ aliquæ adhærent.

(f) *Bogsan*, in valle amoena resedit, auram tamen, paludes, quibus obnoxium est, insalubrem reddunt. Parantur hic in officinis ex ferro, multa instrumenta, & pro usibus bellicis glandes diversæ. Salis quoque depositorio est notabilis. Pertinet cum prioribus duobus ad processum Oraviczensem.

(g) *Somlio*, (Valachis Sumlich) olim locus non incelebris, nunc rudera tantum visuntur. (*n*)

6. Supremus comes necdum datus est provinciæ.

§. III.

(*n*) Olahus *l*, *cit*. *Lib*, *I*. *c*. 17. §. 3. *Kaprin*, *in hist*, *dipl*. *P*. *II*. *p*. 196. 199.

§. III.

COMITATVS TEMESIENSIS seu TEMESVARIENSIS, a fluuio Temes denominatus, Germanis, Temeswarer Gespanschaft, Hungaris, Temes Vármegye. Præstantissima est prouincia, simul ac antiquissima cujus supremi comites, amisso Seuerino, banorum regni iura sunt consecuti, & inter barones regni relati. (o)

1. Quoad limites notandum, excurrere illum, versus septentrionem, ad Csongradiensem & Aradiensem, comitatus, a quibus eundem Tibiscus secernit, ab ortu illi est vicinus Karassoviensis, ab occasu, Torontalensis, comitatus, a meridie vero, præfectura militaris Temesiensis.
2. Incolæ, quos habet, sunt Rasciani, Valachi, atque Germani, Hungari perpauci, omnesque rem familiarem ac metallicam gnaviter curant.
3. Crescit in prouincia hac omnis generis frumentum, oryza, Turcicum triticum, milium, fructus hortenses præstantissimi, gramen, ligna, nihilque fere desiderat, quod ad vitæ commoda pertinet. Arte quoque multa parantur, quæ olim ære, ex alienis ditionibus redimebantur.
4. Divisus est anno 1779. in quatuor processus, quorum

(a) Meditullium occupavit Temesiensis nomine insignitus, qui, præter urbem principem totius regionis, 45. pagos capit.

(b) *Szent-Andrasiensis*, a S. Andrea vico mediocri denominatus, 40. pagos habet.

(c) *Lippensis*, a castro cognomine accepit nomen, & præter oppidum unicum, 44. pagos complectitur.

(d) *Versetziensis*, ab oppido Versetz, appellationem consecutus, versus occasum rejectus, 45. pagos exhibet.

5. Munimentum validum urbsque Temesvarinum, Hun-

(o) Elucent hæc in primis ex subscriptionibus decretis & diplomatibus regum adnexis.

Hungaris Temesvár, merito primo loco hic commemoratur. Situm, non ad Temesiam, ut geographorum plurimi scribunt, sed ad Begam fluuium, Temeso licet vicinum, accepit. Ille enim duobus ab urbe stadiis decurrit, hic perpetuo ad urbis propugnacula descendit (*p*) Plateas accepit spatiosas, ac in recta linea ductas, ciues, partim Rascianos, veteres incolas, partim Germanos, quæstum, & artes, opificiaque varii generis sedulo curantes. Horum non pauci suburbium elegans (die Fabrik Vorstadt) incolunt, in quo comes Mercy, quæ ad sericum producendum, atque in usus hominum convertendum, necessaria esse videbantur, sumtu regio procurabat. Vrbs ipsa vali-

(*p*) Multum Turcarum incursionibus non modo regio integra, verum & munimentum celeberrimum vexatum est. Sæpius enim, quod scimus, barbarorum oppugnationibus fatigatum fuit, & cruciatorum armis vexatum. Anno videlicet 1514. cruce signati coloni in Hungaria funestum bellum excitaverant, &, post multas strages editas, Stephanum Bathorium hac in urbe obsederant. Actum fuisset, de eo, & multis proceribus, equestrisque ordinis viris, ni Joannes Scepusiensis, cum copiis in Transilvania sub signa raptis, adcurrisset, colluvionemque hanc colonorum, ingenti clade oppressisset. Captus est eadem occasione, primipilus totius seditionis Georgius Siculus, cum fratre, & supplicio gravissimo adfectus. Ipse urbis positus ita comparatus antea erat, ut, ad plus mille passus, paludibus ex Bega restagnantibus, cingeretur. Moenia illi vasta mole prætexta sunt, continuanturque in dies munitionum opera, ut locus, quem ipsa quasi natura munivit, arte etiam reddatur inexpugnabilis. Circumcirca, nihil, praeter amoenam planitiem conspicias. Aëris olim salubritate, aquisque destituebantur cives, quibus tamen malis, & fonte perenni, & hortorum extra urbem cultu, aliisque adminiculis, medela adlata est.

Arx urbi adhæsit, eodem, & situ, & munitione, quæ urbi obrigit. Hanc Begus amnis irrigat, diu ibi torpescens, usque dum lento alveo prolabatur aliorsum. Hanc, & urbem ipsam, ad optimas mathematicorum leges, ex mandato D. Augusti Caroli VI. C. Franciscus Mercy communivit. Expugnavit barbarus eandem anno 1552. cujus sub potestate, usque ad annum 1716. permansit, quo, virtute incomparabili Eugenii ducis Sabaudiæ, est recuperata.

validi praesidio insidetur. Rem sacram Temesvarini antea PP. societatis Jesu, iam vero, præter sodales Francisci Seraphici, & fratres misericordiæ, anno 1753. eo deducti, faciunt (q). Præbet quoque sedem vener. Capitulo Csanadiensi, ac Episcopo Græci ritus non unito. Sæculo XIV. hic obierat Maria, prima uxor Caroli regis Hungariæ, filia Casimiri ducis Tessinensis (r). Est hic quoque amplum contubernium militum in præsidio locatorum, & xenodochium duplex.

6 Oppida duo numeranda,

(a) *Lippa*, insigne olim munimentum, ad ripam Marusi, quod nimium defecit hodie. Seiungitur id quinque in aquilonem milliaribus Temesvarino. Arx adposita elegans est, & amoeni positus, quæ, multis bellorum tempestatibus evastata fuit; usque dum eo redigeretur locus, ut, quemadmodum fere plurimæ munitiones, interciderit. Colitur a Rascianis, Germanisque nuper eo deductis. Communiverat Lippam muris, & quatuor propugnaculis, Georgius Marchio Brandeburgicus Wladislai II. regis Hungariæ ex sorore nepos. Anno 1551. adcurrente Turca, Lippa, a præfecto Joanne Peteone turpiter derelicta, sub tyrannidem barbarorum devenerat. Anno 1688. opera Carafæ recuperata est.

(b) *Verschetz*, monti subjacet eiusdem nominis campo hilari commodoque. Rasciani habitant, cum delapsis eo non ita pridem Germanis.

7. Notari præterea merentur.

(a) *Szakalhdz*, possessio 300. domibus colonos maiori ex parte ex Lotharingia 1765. eo deductos excipiens.

(b)

(q) Nicol. Olah. arcem Temesiensem quærit apud fluuium Temesum, *in Hungar. Lib. I. c. 17. §. 1.*

(r) *M. Johan. Thurocz in Chron. Hung. P. II. cap. 91. Frid. Wilhelm. de Sommersberg in script. rerum Silesiac. T. I. p. 685.*

(b) *Giroda*, ad fluuium Begum, cuius tellus copiam magnam oryzæ profert. Vtraque possessio est in processu Temesiensi.
(c) *Szent-András*, ampla possessio.
(d) *Kis Becskerek*, postali statione nota.
(e) *Novum Arad*, (Vj-Arad) in quo anno 1750. multi Germani se deposuerunt.
(f) *Monostor* salis depositorio & statione postali memorabilis.
(g) *Mercyanum*, (Mercydorff) a comite Mercy nomen traxit, Germanosque accolas recepit. Quinque hæ possessiones sunt in processu Szent-Andrasiensi.
(h) *Guttenbrun*, possessio, in qua 1765. Germanicæ familiæ 142. se deposuere.
(i) *Charlottenburg*, serici cultura notus locus, cujus promovendæ causa 1771. mori multi inplantabantur.
(k) *Csakova*, vel Csakovár,
(l) *Denta*, opus olim tumultuarium, ad Temesum amnem excitatum. Vicinum illi est monasterium Græci ritus non unitorum S. Georgio dicatum.
(m) *Moravicza*, eleganter instructa possessio.

7. Supremus comes est C. CHRISTOPHORVS NICZKY de eadem, &c. præses commissionis, quæ, ex benigno præscripto Augustæ reginæ banatum Temesvariensem ad systema Hungariæ comitatuum reducit.

§ IV.

COMITATVS TORONTALIENSIS (Toronthal-Vármegye) a flumine Thurn denominationem accepit. Erat is iam prisca ætate notus (s), licet, ante

(s) Positum eius veterem ex publico sæculi XV. instrumento scire eruit P. *Sam. Timon.* In *imagine Hungariæ novæ Cap. VII. Confer. auctor topographiæ magni regni Hungariæ*, quæ typis Kalivodianis Vindobonæ 1750. evulgata est pag. 523. Ad hunc Comitatum olim Becze castrum cum oppido, Araka, Ba-

ante 80. & quod excurrit, annos, dum restituendus decerneretur, positus & limites eius detegi non potuerint.

1. Comitatus iste, ut nunc est instructus, in septentrione, fluvio Maros, a Csongradiensi & Csanadiensi secernitur; a meridie, præfecturam militarem Temesiensem, ab ortu, Temesiensem comitatum habet vicinum, ab occasu, ad Tibiscum pertingit, quo a Bacsiensi dirimitur.

2. Incolas habet partim Rascianos, partim Germanos, impensis & prouidentia Augustæ reginæ eo deductos.

3. Prouincia hæc olim paludosa fuerat atque insalubris, iam aquis ex palustribus lacunis in proximos rivos deductis, laeti campi prataque surrexerunt. Monticuli multi sunt inprimis meridiem versus, aquilonaris plaga plana est. Solum toti comitatui fertile obtigit, quod omnis generis frumenta, legumina, oryzam, Indicum seu Turcicum triticum, gramen, herbasque præstantes profert.

4. Divisus est 1779. in tres processus, videlicet

(a) *Nagy Szent Miklosiensem*, qui, a cognomine loco nomen est consecutus, 22. possessiones, & 4. ingentia prædia habet.

(b) *Becskerekiensem*, qui a Becskerek oppido, id nominis indeptus, 20. possessiones & 12. prædia accepit.

(c) *Ratz-Kanisiensem*, cui Ratz-Kanisa nomen mutuavit, 31. possessiones, ac. 5. prædia complectentem

(d) *Neo Pecsiensem*, a loco Neo-Pécs (Vj Pecs) sic appellatum, olim paludibus scatentem, ex quibus tamen aquæ iam in rivos proximos deductæ sunt.

Nu-

---

zelhida, Becskereke, oppida, & possessiones Vjfalu, Szent-Király, Boldog Aszonyfalva, Szentered, Vegenye, Echehida pertinuisse dicuntur.

Numerat pagos 39. prædia 22. adeoque, in toto comitatu, duo proſtant oppida, pagi 122. & 12. prædia.

5. Oppida duo ſunt:

(a) *Nagy-Szent-Miklos*, populoſum & amoenum, ſalis depoſitorio inſtructum.

(b) *Nagy-Becskerek*, (Bechkerek) inſigne olim oppidum arce communitum valida, cingitur lacu, quem amnium aliquot concurſus effecit. Oppidum iam tenue eſt, arx autem diruta penitus.

6. Inter pagos ſequentes notari merentur:

(a) *Beſſenova*, in quo multi Hungari ſe depoſuerunt, quos Græci ritus Epiſcopus Stanislovits eo deduxerat.

(b) *Ratz-Kaniſa*, populoſus, in quo ſal deponitur.

(c) *Nagy-Kikinda*, antea Echehida, quem, & vicinos complures pagos, Raſciani inhabitant, ſuæque gentis magiſtratus habent.

(d) *Uj-Pecs*, in quo ædificium capax equeſtrem militem hoſpitio excipit.

(e) *Hatzfeld*, a colonis ex Lotharingia 1767. adductis excitata poſſeſſio.

7. Supremum comitem ab Auguſta regina proxime renunciandum exſpectat comitatus.

§. IV.

COMITATVS CSANADIENSIS, Hungaris, Csanád-Vármegye, Germanis, die Tſchanader Geſpanſchaft, nomen a Csanad vrbe epiſcopali accepit. Vocabatur quondam etiam Cenadienſis, vt & Chanadienſis, ac Tſchanadienſis, & quidem, ſi nonnullis fidem adhibeas, a Csanadino duce.

1. Tota regio vaſta hilarique planitie diffunditur, Maruſio amne praecincta. Maior multo fuit, extenſaque longius, antequam magna ſui parte, Temeſienſi banatui adſerta, priuaretur. Auctor topographiae magni regni Hungariae quae Vindobonæ, anno 1750. prodiit, ita rem exprimit: *olim dirimebatur a comitatu Temeſienſi, riuo Be-*

reg-

regszö dicto, meridiem versus; ad occasum a Torontalensis, & Csongradiensis parte, ad septentrionem, Bekesiensi; ad ortum Aradiansi & Zarandinensi. Hæc grauis auctor. Terminos, nouis iam circumscripta finibus, a meridie, Marusium; Aradiensem comitatum, ab ortu accepit; septentrionale occidentaleque latus prouinciolae, Csongradiensis & Békesiensis regio incingit. In longitudine fere ad 10. in latitudine ad 3-8 milliaria protenditur.

2. Incolas, post Turcarum illud iugum, pace Carlouitzensi excussum, Hungaros habet. Intersunt his, & Graeci, mercatus causa, sedem hac regione ponentes, Rasciani certe paucissimi sunt. Oppidum tantum vnum, pagi 8. in hoc comitatu deprehunduntur. Animas numerat 19320. inter quas etiam 210 Judæi referendi: Aerarium bellicum ex comitatu hoc quotannis accipit 14465. fl. 30. xr.

3. Fertilitatis non postremam, eo quod planitie ampla teneatur, meretur laudem. Frumenti enim & vini nobilis, prouentum eximium suppeditat. In primis ad Makó oppidum praeclari gustus reperias. Montes non multos habet, habet vero colles, hinc adsurgentes, & prædia capacissima. Armentis proinde educandis, commodissima est regio. Nam, hinc inde siluas etiam habet, querneis arboribus consitas. Feras hic locorum frustra quaesiueris, tantoplures vero aves deprehenduntur.

4. Totus quantus comitatus, est autem exilis, quippe, si Csanadum excipias, vix alterutro vico cultus, a partitione in processus immunis est.

5. Vrbs, & arx, quae prouinciam insedit olim, hucdum etiam episcopalis, Csanadum, Hungaris, Slauis, & Germanis, Csanad dicitur. Hanc Marusius, non adluit modo; sed immissis etiam in fossarum abdita aquis, egregie communiuit. Sunt, qui dicant, illud olim Morisenum fuisse adpellatum,

tum, deinde, a duce Tſchanado. Tſchanadum. (t) Illuſtris eſt ſede epiſcoporum Csanadienſium, quam S. Stephanus huc collocauerat. (u)

6. Oppidum vnum modo comitatui, quod ſcimus, ineſt, cui nomen Makó. Situs id opportunitate paucis cedit. Praeterquam enim, quod ad Maruſium amnem accedat propius, fertili etiam ſolo, colonorumque copia, gaudet. Nunc ditioni Csanadienſis epiſcopi ſubeſt, qui hic ſedem habet. Neque praetereundum Egres, Egreſinum, abbatia Ciſtercienſium olim celeberrima, (x) quae, ad Andream II. regem, originem & natales refert.

7. Supremus comes, isque perpetuus, erat hucdum epiſcopus Csanadienſis. Vltimus fuit Franciſcus Antonius comes Engel de Vagrain.

An-

(t) Hic Actomum hominem quendam validum robuſtumque, S. Stephani regis aduerſarium, certamine ſingulari viciſſe vitaque priuaſſe dicitur.

(u) Primus epiſcopus perhibetur fuiſſe S. Gerhardus martyr, circa annum 1036. honore hoc ſacro, auctus. Fuit is Venetus illuſtri Sagredorum ſanguine fatus. Primum, in patria abbatem Benedictinorum egit, dein in Hungariam profectus, & S. Emerici ducis educationi praefectus eſt. Bello illo ruſtico, quod anno 1514. Hungariae magnam adtulerat calamitatem, Joannes Csaky epiſcopus Csanadienſis, a furente plebe captus, & praeacuta ſude, per inguina incuſſa, foedum in modum interfectus eſt. Redituum, ſi rationem habeas, inter omnes Hungariae epiſcopos, loco vltimo ponendus eſt Csanadienſis. Pertinet vero ad vrbis celebritatem, id etiam; quod non comitiis modo frequentata fuerit antehac; verum tumulum etiam Ladislao Cumano regi ſuppeditarit. Accidit ei, quod pleriſque barbarorum immanitate vrbibus; vt, moenibus denudata, arceque priuata, ſedem epiſcopo, ob tenuitatem ſuam, concedere hucdum vix potuiſſe dicatur.

(x) Fuit olim ad formam caſtri communitum, quod Tartarorum impetum aliquantiſper ſuſtinuerat. Rogerius de deſtructione Hungariae c. 37.

Anno 1777. honores hos est consecutus JOSEPHVS L. B. SPLENI de Mihalydi. Conuentus prouinciae in oppido Mako habentur. Episcopus Csanadiensis est EMERICVS CHRISTOVICS.

§. V.

COMITATVS ARADIENSIS, seu ORODIENSIS, Hungaris, Arad Vármegye, Germanis, die Arader Gespanschaft, nomen a munimento Arad accepit.

1. Cis Marusium, fines Transiluaniae occupat magna situs parte, ultra flumen, quae Temesvaro accessit, priuatus. Longior ergo, quam latior multo est prouincia. A Csanadiensi enim comitatu, vsque ad Transiluaniam, pertingit, in orientem; in septentrionem ac meridiem, eo vsque protensus, dum Békessiensium & Zarandiensium attingat limites. A banatu, fluuio Maros dirimitur. Ceterum, ita comparatus est; vt planus parte altera, altera montibus insessus, merito dicatur. Fluuio vno admodum Marusio rigatur. Regio, quae inter Chrysium album, & Marusium est, Marosköz vocatur. (y)

2. Qui regionem inhabitant, Valachi sunt, & Rasciani, bellis potissimum ciuilibus, de Hungaria optime meriti. His, & Hungari Germanique accesserunt, vltra modum tamen infrequentes. Accesserunt praeterea Armenii ex Transiluania huc acciti. (z) Numerat comitatus hic, cum Zarandiensi, quos nonnulli coniungunt, pagos 167. oppida 16. in quibus 101540. animæ deprehenduntur, vna cum Judæis 310. accipit aerarium ex vtroque comitatu quotannis 54417. fl. 50. xr.

3. Ter-

(y) Nicol. Olah. Lib. I. c. 16. §. 4.

(z) Pray dissertation. in suplem. ad annales Hunnorum &c. T. I, pag. 171.

3. Terrenum fertile est vbique, ac omni fere frumenti genere abundans. Vitem Valachi potissimum excolunt, proventu vbere; quin Hungari etiam, aliique incolae, eadem hac vite, quaestum facere incipiunt Minori iam opera, rei pecuariae incumbunt, quod, & profectus exigui est, & generis gracilioris. Ferarum summa ubique copia; quam olim hibernantium militum libertas diminuerat.

4. Processus regiunculae duo sunt:

(a) *Aradiensis*, arce & oppido cognomine, prope Marusium circumfusus.

(b) *Tot Varadiensis*, orientaliorem plagam, aduerso amne eodem, versus Transiluaniam complexus. Alii quatuor processus quaerunt in hoc comitatu.

(a) *Aradiensem*.
(b) *Jenöiensem*, ab arce & oppido Jenö.
(c) *Vilagosiensem*, ab oppido Vilagos.
(d) *Zarandiensem*. Sed hi, Zarandiensem comitatum, ab Aradiensi, non separant.

5. Arcibus insidebatur prouincia, antea nobilissimis, in quibus numerantur.

(a) *Ó-Arad*, Latinis, Arad vetus, Orod alias, ut & Arad dictus, in ripa Marusii capitulo olim insigne fuit. (*a*) Erat olim insignis praepositura sacer-

(*a*) Cum Turcae totam regionem inundassent; limitaneum propugnaculum praebebat arx, munitis aliquot suggestibus instructa. Nunc, post vltimam a Turcis recuperationem, ruere incepit; vt, praeter rudera, nihil amplius videas. Eo celebranda hucdum est nomine, quod sepulchrum praebuerit, praeclaro Hungarorum regi Belae II. quod tamen obtritum penitus iam est; arx etiam vico simillima.

ſacerdotum atque collegio canonicorum, licet aliqui, & praepoſituram, & collegium canonicorum, Orodini, vbi hodie eſt oppidum Glogováts ternis millibus paſſuum hinc retruſum, fuiſſe, ex certis ruderibus adhuc proſtantibus, colligere velint. Tabularium, quod hic aſſeruabatur, metu Turcarum, in cryptam quandam repoſitum, interiiſſe creditur. (*b*)

(b) *Vj Arad*, Latinis, Arad recens, antiquis, Orod, milliari vno, a priori illo, in occidentem ſubmotum eſt. Turcis ſuas debet origines, Eugenii demum ducis prouidentia a meridie communitum. Propugnaculum ipſum quadrangulare eſt, vallis profundioribus vndiquaque circumdatum. Habet & ſuburbia duo, longius ab arce reiecta. (*c*)

(c) *Solymos*, Solmotz, exiguo, Lippam verſus, interuallo, alto monti inaedificata, celebris olim fuit. (*d*) Nam, Turcarum obſidiones, reiecit ſaepius. Ceſſit demum temporum malignitati; cum abiiſſet in rudus, adeo; vt quinquaginta militum praeſidio iam teneatur.

(*b*) Ladiſlaus Turocz in Hung. p. 207. Praepoſitus loci nonnunquam vice cancellarii regii munere defungebatur, quod ex compluribus diplomatibus patet.

(*c*) Anno ſaeculi praeſentis ſeptimo, Rakotziani illud auſi ſunt obſidere, cladem tamen acceperunt. Anno 1735. Pero Raſcianus ſtipendia hic accipiens, cum Sebeſtyino. & nonnullis aliis, ſeditionem excitauerat, vigilantia & virtute hominum equeſtris ordinis huius, vicinorumque comitatuum, in prima ſuppreſſam herba, qua de re Samuel Timon. epitom. chronol. ad annum 1735. ad calcem libri.

(*d*) Kaprinay in hiſtor. diplom. P. II. p. 131. Vicinum illi eſt promontorium Mokra, vinum nobile fundens. Olahus in Hungar. libr. I. c. 16. §. 4.

(d) *Tót Vdradgya*, limitibus olim contra Turcas non modo, quam Transiluanos etiam, tutandis, erectum. Rudus arcis, in vicum hodie abit, haud ignobilem.

6. Oppida pauca hoc comitatu sunt, atque in iis potissimum:

(a) *Radna*, quod in margine Marusii amnis, Lippae obuersum, magnas calamitates, frequentibus Lippae obsessionibus, a Turca susceptis, pertulit. Coniici ergo facilè potest, quantum iam, & a frequentia, & ab elegantia priori, decesserit. Hodie, dominum reueretur serenissimum ducem Mutinensem.

(b) *Gyorók*, in Aradiensi, vti prius, processu.

(c) *Magyar* & *Olah Pecska*, Hungaricum & Valachicum *Pecska*, ibidem.

(d) *Tot Várad*, in eodem processu.

Notari adhuc meretur vicus Mines (Ménes) vino rubri coloris, praestantissimique saporis inclitus. Reliqua auctor ad Zarandiensem comitatum retulit, quod mox ostendetur.

7. Administratio huius fuit olim penes militares & camerales magistratus. Iam tamen supremo gaudet comite, GEORGIO FEKETE de Galantha, iudice curiae regiae. Conuentus publici habentur Aradini.

§. VI.

COMITATVS ZARANDIENSIS, Hungaris, Zarand-Vármegye, Germanis, die Sarander Gespanschaft, cui oppidum olim celebre, nunc vicis adnumeratum, vel arx Zarand (e), nomen impertiuit.

1. Lon-

(e) Decret. anni 1478. art. 7. Anonym. Belae Regis notar. c. 52. In comitiis anni 1741. art. 14. fuerat decretum, vt comitatus hic, cum vicinis, Kraszna, Kővár, ac Zolnok me-

1. Longo is tractu duodecim fere milliarium, a Transiluania, Tibiscum versus decurrit: finitimus ab oriente Transiluanis; Bekesiensibus, denique ab occidente; a meridie, Aradiensibus; Bibariensibus, a septentrione, terminantibus. Planities mera; praeter aliquot Carpati iuga, in Bekesiensium limitibus, regionem occupat. Fluuiis duobus, Chrysiis nempe, quos aurum vehere diximus, rigatur. (*f*)

2. Colonias Valachorum accepit, praedationibus potissimum deditas; quin Hungaros etiam colere scimus; qui tamen, & agriculturae impendunt operas, & viuunt tranquilli.

3. Non exiguam quoque fertilitatis gloriam habet regio. Praeterquam enim, quod frumenti omnia genera ferat, solum, vinum etiam antehac, protulit, ad Jenö oppidum, adeo quidem & copiosum, & nobile, vt ab illius celebritate, Boros Jenö diceretur. Nunc segnius iam vitis tractatur. Pecore tamen, per montium abdita, proficiunt egregie: vt ferarum & auium siluestrium taceam vbertatem. Habet, praeter haec vitae sustentandae commoda, metalli etiam fodinas, in Transiluaniae finibus. Chrysii amnes, arenam certe auream suppeditant; quae lota, purissimum nobilissimumque aurum praebet.

4. Quatuor olim definiebatur processibus, qui, nomina, ab oppidis & arcibus, mutuarunt; duo priores, vt iam monitum, ad Aradiensem comitum referuntur, posteriores ad Zarandiensem. Nominantur autem:

diocri, & quoad tributa praestanda, & quoad politica iuridicaque, Hungariae regno iterum subiectus sit.

(*f*) Vid. P. I. general. §. 20. de fluuiis.

(a) *Zarándiensis*, qui vicum cognominem circumsedit.

(b) *Jenöiensis*, castro & oppido ejusdem nominis circumfusus. Anno 1744. duo processus hi, ad Aradiensem comitatum sunt relati; adeoque, ad proprium iam Zaradiensem comitatum, dimidia nonnisi pars, id est, Halmagyensis & Bradensis processus, pertinet.

(c) *Halmagyensis*, ab oppido, quod laxe ambit, sic adpellatus.

(b) *Bradensis*, eadem ratione ab oppido sic dictus.

5. Praecipuas has fere arces dixerim:

(a) *Boros Jenö*, arx bello Turcico egregie munita, nunc diruta penitus. Oppidum adiacens copiosum hodie etiam est. Occupabat etiam arx diruta, Chrysii albi ripas, quatuor instructa propugnaculis. (g) Anno 1693. Sigbertus Heister, eandem vltimo, sub regis Hungariae redegit obsequium. Vina Boros Jenöiensia, inter nobiliora referuntur.

(b) *Deszna*, montem insedit, exsurgentem altius. Vicina haec, & fatis, priori fuit, & situ, hodie rudera vix conspicias. Circumdatur amoenis vallibus, & riuis limpidis, qui trutas alunt, inusitatae propemodum magnitudinis. Nec loturae auri, nec ferri secturae, hic desiderantur. (h)

(c) *Világos-vár*, petram excelsam occupat, non procul a Méhes, quod nomen originem Hungaricam indigitat. Budam inde sereno coelo licet con-

---

(g) Anno 1565. sub Turcicam deuenerat potestatem, sequentibus temporibus, mox a Turca liberata, mox iterum subacta est.

(h) Ad Aradiensem potius referenda comitatum, vt plurima hic recensita. Lad. Turotz. in Hungaria p. 207.

conſpicere. Ad 12. certe milliaria menſurae noſtrae, adſpectabilem eſſe, multi adſeuerant. Bonfinius decade IV. lib IX. eam, lingua Latina, lucidum caſtellum vocat. Habet riuulos, vicinis petroſis ex montibus erumpentes. Plana ſunt omnia, occaſum verſus, reliqua regione vinetis conſita deprehenduntur. Arx haec inprimis captiuitate Michaelis Szilagyi gubernatoris regni Hungariae, & Matthiae Coruini auunculi, ex qua coqui ſui opera, anno 1459. liberabatur, eſt memorabilis. Anno 1693. Sigbertus Heiſterus, Turcam, armis inde depulit. Suis iam ruinis ſepulta eſt.

6. Oppida comitatus ſunt:

(a) *Zárand*, metropolis olim, caſtro inſtructa, unde etiam prouinciae nomen. Nunc vicus eſt.

(b) *Simand* vaſtum, copioſumque oppidum, colonis Valachis cultum, in via regia ſedet. (*hh*)

(c) *Boros Jenö*, arci cognomini adpoſitum, iisdem cum arce fatis conflictabatur, de quibus ſupra.

(d) *Pankota*, caſtello ornatum fuit, quod Turcarum incurſationibus interiit. Ipſum oppidum, ita flore priſtino denudatum eſt; vt vicis fiſci regii iam accenſeatur. Gaudet vino rubro, non minus, quam albo generoſo. Olim quoque inſignis hic erat abbatia.

(e) *Halmágy*. frequens alioquin, in finibus Tranſiluaniae oppidum. Caſtellum olim adpoſitum muris foſſisque cinctum fuerat. Iam, & oppidum hoc, decore & frequentia priſtina priuatum eſt.

(*hh*) Habebat olim incolas plurimos claudos, coecos, cruribus vel brachiis contortis, aut alio corporis vitio notatos, quo de re Olahus in Hungaria lib, I. c. 19. §. 4. ibique Belii, & Kollarii nota adnexa.

(f) *Brad*, in ipſos Tranſiluanorum limites, reiectum eſt, coliturque ab Hungaris.

(g) *Paly*, praepoſitura-Aradienſis, non parui olim nominis, teſte Olaho in Hung. lib. I. cap. 19. §. 4.

(h) *Buttyin*, oppidum in Jenöienſi proceſſu.

(i) *Deſzkna*, vel Deſzna.

(k) *Szebes*, Boros Szebes, in eodem proceſſu.

(l) *Uj Szent Anna.*

(m) *Világos.*

(n) *Siklo*, in Zarandienſi proceſſu quaerendum.

Nicolaus Olahus ſcribit, regionem, quae eſt inter tres Chryſios, velocem ſcilicet, nigrum, & album, Küresköz eſſe vocatum. Eius aetate, verſus radices montis, proſtabant, Fekete Bathor, & Ireg, infra vero, verſus meridiem, Cheſa, Zadan, Mezewgyan, Kelesér, Gyarmand, & Sarkad oppida. (*i*) Erant quoque olim in comitatu hocce Meſth ſeu Aranya, Galſa, & Syri. (*k*)

7. Supremum comitem, quod attinet, PAVLVS L. B. HOLLAKY, de Kis-Halmagy eſt; neque tamen iure haereditario.

§. VII.

COMITATVS BÉKÉSIENSIS, Hungaris, Békes-Vármegye, Germanis, die Bekeſcher Geſpanſchaft, ita dictus a copioſo oppido Békes.

1. Si-

(*i*) In Hung. lib. I. c. 16. §. 4.

(*k*) Timon in imag. Hungariae nouae cap. 7. p. 50. Aranya vicus auri argentiqu montem feracem habebat. Turoz in Hungaria p. 207.

1. Situs regionis, planus quidem; paluſtris tamen eſt, a ſeptentrione habet Cumaniam maiorem & Bihavienſem comitatum, ab ortu Zarandienſem, a meridie Aradienſem & Csanadienſem, ab occaſu, Csongradienſem & Zolnok exteriorem comitatus. Occupata, poſt funeſtam cladem Mohácsianam; hac, & vicina ora, per Turcam, comitatus hic, a geographis, aut omittebatur penitus, aut cum Torontalenſi confundebatur. Diuerſum vero ab hoc fuiſſe, cognoſcas, ex catalogo comitatuum, quem Stephanus Verbötz, in tripartito exhibet, &, ex antiquis diplomatibus. Tres ceteroquin Chryſii comitatum perluunt; vſque dum ii, in Csongradienſium terminis, Tibiſco accedant. Siluefcere pauca hac regione videas. Incolae ergo lignatione deſtituti, arundine, & armentorum fimo ſicco; lignorum loco, vti conſueuerunt.

3. Incolae Hungari, maximam partem hac regione reſederunt. Valachi & Raſciani, pauciores ſunt; quos Slaui, frequentia antecellunt, ſummam diligentiae laudem dudum iam meriti. Nuper, & Germanos Haruckeriana dominatio accepit, qui tamen inſueti aeris Hungarici, plurimi iam interire, pauciſſimi adhuc Gyulam inhabitant. Non plures, quam poſſeſſiones ſedecim, & quatuor oppida, comitatui adtribuuntur. Animæ vero 54820. Aerarium bellicum quotannis 26864. fl. 30. xr. ex comitatu hocce accipit.

3. Agri ingenium nobile eſt, tritico inprimis amicum; paſcua aeque commodiſſima, ſuppetunt. Quare innumeros etiam armentorum greges, ſuſtentant incolae. Vinum, praeter Gyulaenſe, non adeo nobile prouenit. Deſtituitur praeterea fontibus, balneis, montibus, & nonnullis aliis vitae humanae commodis. Ferarum, auium, piſcium, quin fructuum etiam omnis generis, ſumma hac regione vilitas eſt.

4. Quod nondum instauratus erat vicorum numero, olim partitionem haud admiserat. Jam tamen diuiditur in processus duos:

(a) *Bekesiensis* est, occupans regionem orientalem, ad comitatum Zaradiensem porrectam.

(b) *Csabensis* excurrit per regionem occidentalem, versus Cumaniam maiorem.

5. Arx, praeter Gyulam, Juliam, comitatui nulla inest. Munitissima haec, suo tempore, fuit; nunc inermis est. Lacui Sarkád Transiluaniam versus accedit, fossis cincta vndique validissimis. Cessit crudelitati barbarorum aliquoties; vsque dum nostris denuo adsereretur. Superest hodieque arx interior formae quadrangularis, a praesidiariis aliquot, sumtibus Haruckerianis custodita. (*l*)

6. Oppida priuilegiis donata, quatuor reperies:

(a) *Gyula*, (Németh Gyula) arci, de qua nunc dictum est, subnexum oppidum. Vrbs olim fuit iisdem, cum arce euentibus degenerans. Hungari, Rasciani, Germanique, eam inhabitant, quos terrae dominus, non ita pridem, eodem loco, reposuit. D. augustus & rex apostolicus, Carolus VI. oppidum cum arce, L. B. Joani Georgio ab Harruckern, contulerat, quo mortuo, iuris Károlyiani euasit.

(b)

(*l*) Deuenit anno 1556. sub Turcicam potestatem, ab anno tamen 1685. quo barbarus eam restituere est coactus, ab Hungaris tenetur. Quamdiu Turci eam tenebant, praesidiarii eorum, vicinam oram, longe lateque depopulari solebant. Saec. nostro, seditiosi, qui partes Francisci Rakoczy sequebantur, sedecim dierum spatio, eam oppugnabant, nec vi tamen, nec cuniculis, quidquam proficiebant. Patebant olim ad hanc arcem, subiecto ex oppido, aditus, quatuor per sublicios pontes. Auctor topographiae magni regni Hungariae Viennae 1718. impressae Gyulam in comitatu Aradiensi locat.

(b) *Magyar Gyula*, oppidum etiam elegans in solo fertilissimo positum.
(c) *Szarvas*, colonia amplissima Slauorum, qui hic egregie proficiunt.
(d) *Békes*, castrum quondam, a quo regio integra nomen mutuauit, positum inter lacus Chrysii amnis accepit. Facile copiosissimum, tota hac prouincia, locum dixerim. Nam, quod agro gaudet fertilissimo, in dies, plures eo demigrant Hungari. Olahus scribit, aetate sua, arci Gyula, sequentia oppida fuisse vicina. Bezely, Theleky, Miske, Talpas & Felthoth. (*m*) Nostra vero aetate, vicini arci huic sunt, aliquot vici ampli, inter quos praecipui sunt; Berenke, Dobotz, Fais, Gyarmath, Gyoma, Ludany, Ötsöd, Szekhalom, Tarcsad, Vesztö. (*n*)

7. Datus est comitatui huic anno 1777. administrator comes FRANCISCVS ZICHI de Vasonkö. Conuentus publici prouinciales in oppido Gyula habentur.

§. VIII.

COMITATVS BIHARIENSIS, Hungaris, Bihar-Vármegye, Germanis, die Biharer Gespanschaft, nomen a Bihar, alias etiam Bichor denominato castro antiquo, ea iam aetate acceperat, qua ducatus insigniebatur cognomine.

1. Longe lateque contigua propagatus planitie, in tractu aquilonari, Szaboltsensi, & Szathmariensi comitatibus terminatur. Vnde, in contiguas oppositasque conuersus plagas, in ortu quidem, tractum Krasznensem & Transiluanicum, in meridie, Zaradiensem & Békesiensem agrum, in occasu Cumaniam maiorem limitibus suis contingit. Con-

(m) Oláhus in Hungaria lib. I. c. 16. §. 4.

(n) Turoz in Vng. p. 209.

Consedit in vasta ac aperta regione, quae in tractu occiduo siluescit, vsque ad Transiluaniam extensa. Transmittit delapsos ex montibus Transiluaniae amnes maiores duos, & quidem Berettyö, per mediam: Chrysium, per oram australem; qui crebrioribus aquarum exundationibus, quoties accidunt, loca palustria, postea relinquunt.

2. Incolae, qui regionem campestrem insederunt, Hungari sunt; iique omnium in regione Trans-Tibiscana, & quoad antiquos gentis mores, & quoad linguae castitatem, cum Szaboltsensibus cultissimi. Montes & siluas, Valachi tenent, non solum morum asperitate, verum diuersa etiam vitae ratione religioneque, longe a prioribus discreti. Sunt namque Graeco ritui, secundum orientalium Christianorum instituta, addicti. Habet pagos 441. oppida 27. incolas christianos 222480. Judaeos 300. propemodum. Aerarium bellicum quouis anno poscit a prouincialibus 138792. fl. 7. 1/2. xr.

3. Ager prouinciae natiuo subactus nitro, & propterea, qualibet sui parte, fertilis frumento, pascuisque, &, vbi campus in colles eleuatur, vitibus quoque luxuriat. Commodus itaque est rei frumentariae, vineaticae, ac pecuariae, qua industrii occupantur coloni, cumprimis in praediis, quae villatico destinata sunt vsui. Abundat praeterea, siluis, & in primis palustribus, & campestribus feris, ferro, cupro, alabastro, & marmore, inprimis ad Magno-Varadinum, vbi & scaturigines aquarum mineralium præstantes dantur.

4. Diuiditur, pro administrationis ratione, in processus quatuor, qui, partim a loco, quo positi iacent, partim ab oppidis, denominantur.

(a) *Bellényes* processus, australem occupauit partem, in Transiluaniae finibus, & Zaradiensis atque Békesiensis comitatuum collimitio. Trutarum praestantissimi saporis ferax est, districtus hic, nec vinum quod fundit, est ignobile. (b)

(b) *Varadiensis* processus medio positus loco, Transsiluaniam in ortu; Cumaniam maiorem in occasu respicit.

(c) *Sar-Réttye*, processus, a Cumanis maioribus, ad limites Szaboltsensium, in plaga occidentali excurrit.

(d) *Ér-Mellyék* processus, Szathmariensis, atque Kraszuensis comitatuum regioni, in aquilone subest.

5. Vrbs libera atque regia, sola est Debretzen, Debrecinum, Slauis & Germanis, Debrecyn, magnitudinis in agro frumentario ingentis, pascuisque laeto posita. Armenta cornuti pecoris longe lateque hic tenentur. Lardo Debrecinensi nullum est in Hungaria celebrius. Neque vineae ac siluae desiderantur, alit vrbs incolas 25460. qui in aerarium bellicum dependunt quouis anno 35991. fl. 32 1/2. xr. Campi, quibus circumdatur, late patentem occupant planitiem. (o) Est ea anno 1715. in numerum liberarum ac regiarum vrbium iterum cooptata. Eminet, inter cetera regionis oppida, non minus incolarum frequentia, opificiis, negotiatione; quam dicasterio forensi Trans-Tibiscano, seu tabula districtuali, Varadino huc translato. Habet quoque duo gymnasia, quorum alterum ad patres scholarum piarum, alterum vero ad Helueticae confessioni addictos, pertinet. Est etiam typographia instructa. Romano catholicus curio, hanc in vrbem, anno saeculi huius quinto supra decimum, est deductus, & quidem Ioannes Keczer, cathedralis Varadiensis praepositus maior. Eodem anno sodales Francisci Seraphici, acceperunt Debrecinenses, &, paullo post patres etiam scholarum piarum, quibus Emericus S. R. E. cardinalis, e comi-

(o) In campis his, sal alcali deprehenditur argilla permistus ex quo smegma paratur, quod praestantia nulli alteri in regno cedit. Descripsit illud peculiari dissertatione Iustus Ioseph Torkos 1763. typis euulgata, & Gabriel Pazmandi in dissert. de Natro Hung.

comitibus Csaky, magnificam posuit aedem. Addidit nobilium conuictum Stephanus Kohary comes liberaliter. (*p*)

6. Arces & munitiones perpaucae, in prouincia campestri eminent.

(a) *Nagy Várad*, Varadinum maius, munitio est valida, iuris episcopalis, ad amnem Chrysium, reliquiis diui Ladislai regis, e quibus cranium, Jaurinum est translatum, sede episcopali, & collegio sacerdotum canonicorum, celebrata. Arx ipsa, sex propugnaculis est firmata, quorum vnum, Aranyos propugnaculum, vocatur. (*q*) Aërem habet grauiorem, quod quidem a vicinis paludibns prouenire videtur. (*r*) Habent hodie Vara-

---

(p) Vrbs haec saec. XVI. & XVII. dura fata habuit, eo quod mox Caesareani, mox Turcae, eam subegerint, mox vtriusque partis imperio subiecta fuerit. Bello quoque Botskaiano multas pertulit calamitates, quod ex Wolfg. Betlenii histor. Transil. libr. XIII qui necdum typis est euulgatus, patet. Rabutinus dux anno 1706. etiam grauis fuit Debreciensibus. Id in primis dolendum est, quod bibliotheca, quae hic fuit instructissima, non sine ingenti rei literariae iactura, hac occasione a milite irato, sit direpta.

(q) Construxerat hic olim magnificas aedes Sigismundus Thurzo episcopus. Olahus in Hung. libr. I. cap. 16. §. 2.

(r) Episcopatus Varadiensis & collegii sacerdotum canonicorum conditor esse perhibetur S. Ladislaus rex, qui ut esset, qui deuictis Cumanis, sacros submitteret curiones, & in conuertendis illis desudaret, circa annum 1080. vel 1089 sedem hic episcopo adsignasse dicitur. Alii malunt fundatorem huius quoque episcopatus S. Stephanum facere. Pray in dissert. de S. Ladislao p. 55. Sequentibus saeculis multum est passum Varadinum maius, cum a Tataris, tum a Turcis, munificentia tamen Belae IV. Sigismundi, Matthiae Coruini, & aliorum regum, pristinum iterum recuperavit florem. Joh. Zapolius illud anno 1527. Cibaco Italo contulerat. Ferdinandus I. vero Isabellae, matri Joan. Sigism. Transiluani, qua mortua, rediit ad sacram coronam. Turca autem anno 1590. irrito conatu illud oppugnauit. Postea, varias, diuersis sub Principibus Transil-

Varadini, Paulli eremitae socii, Franciscani, fratres misericordiae, & D. Ursulæ sociae monasteria. (s) Praemonstratenses, qui praeposituram S. Stephani protomartyris de promontorio Varadiensi, habent, inter omnia, quae in Hungaria tenebant, primum hic sunt consecuti domicilium. Anno 1777. in vrbe hac, augusta & regina apostolica, pro Graeci ritus, quos vnitos vocamus, episcopatum & collegium canonicorum instituit.

(b) *Biharia*, Bihar, castrum in ruderibus, vetustate nobile, nomen comitatui concessit. Bihor castrum olim Cumanis, Tartaris, atque Russis, obiectum fuisse memoratur. (*t*)

(c) *Székely Hida*, munitio ad tutandum super amnem Borettyó pontem, opera militari excitata, desolata iacet.

(d) *Szent Jób*, sen potius, Szent Jógh, Fanum S. Jobi, aut potius dextrae S. Stephani regis, abbatia B. M. virginis sacrum, formam arcis, vel sudibus, atque aggere circumdatae munitionis, repraesentat. Recuperarunt arcem Christiani, 1686.

---

uaniae, subiit vicissitudines, donec anno 1692. Heisterus, arcem, & adiacens oppidum, in Leopoldi reduxisset obsequium. Sepulti sunt Varadini, S. Ladislaus, Maria I. Sigismundus imperator & rex Hung. qui, id inter reliqua, praeceperat, vt, in principe, quae hic loci erat, sacra aede, diu noctuque, absque cessatione, psalmi, sacrique hymni decantarentur. Nec praetermittendum adhuc est, Petrum Pazmány archiepisopum Strigoniensem, hic, anno 1570. in lucem editum esse.

(s) Jesuitas Stephanus Bathori princeps Transiluaniae eo deduxerat, collegium tamen ex d. Leopoldi imperatoris, & Augustini Benko liberalitate acceperant.

(t) Anon. Belae regis notar. c. 19. Bohor vocat. Fuit hic priscis temporibus abbatia Benedictinorum.

1686. Fuit hic olim conuentus, (*u*) &, per aliquot tempus, dextera hic S. Stephani asseruabatur. (*x*)

(e) *Kereszszeg*, arx cum oppido, vnde gens Csakiana peruetusta axioma accepit. (*y*)

7. Oppida praestantiora sequentia sunt:

In processu Varadiensi.

(a) *Bihar*, Biharia, (Byhor) oppidum castro cognomini adiectum, a quo comitatus accepit denominationem.

(b) *Csátor*, mediocris formae oppidum.

(c) *Elesd.*

(d) *Kis Maria*, patria Stephani Bocskai, qui etiam inde axioma habebat, illiusque libertates adseruerat.

(e) *Olaszi Várad.*

(f) *Püspöki*, episcopale quasi oppidum dictum, lignorum penuria laborat.

(g) *Telegdmezö*, Telegd, olim abbatiam celebrem habebat.

(h) *Varadinum nouum*, amne Chrysio a munitione huius nominis seiunctum, in tria diuiditur oppida, quorum primum, ab episcopo, cui paret, Püspökö Várad, alterum, a colonia Valachorum, Ola-

---

(u) De quo Mathias I. decr. 1486. art. 58. Wladisl. decr. 1498. art. II.

(x) Prolixe de his disputat Erudit. Georgius Pray in dissert. de dextra S. Stephani.

(y) Nicolaus Olahus in Hung. lib. I. c. 16. §. 3.

Olaſzi-Várad, tertium, a praeſidio militari Katona Várad, militare oppidum, cognominatur.

(i) *Valencze.*

In proceſſu Sarrétbenſi:

(a) *Nagy-Baiom.*

(b) *Bereg Bözörmény.*

(c) *Derecske.*

(d) *Kaba.*

(e) *Komddy.*

(f) *Komjar.*

(g) *Vjfalu*, ad Berettyo amnem poſitum.

In proceſſu Ermellyéke:

(a) *Vj-Oſzeg*, amplum & frequens oppidum ad quod eſt riuulus Er, (Erö), qui a fluuio Berettyo accipitur.

(b) *Margita*, Margaretha cultum oppidum.

(c) *Mitske*, copioſum oppidum, ad quod olim arx cognominis proſtabat.

(d) *Székely Hida.*

(e) *Székelváros.*

In proceſſu Belényeſienſi:

(a) *Belényes*, a quo proceſſus Belényeſienſis denominatur.

(b) *Cseſſa.*

(c) *Sarkad.*

(d) *Szalontba.*

(e) *Vaskók.*

(f) *Béél*, quod Catholicos habet incolas, & Graeci ritus vnitos, & ab illis diuersos.

Notari adhuc merentur:

(a) *Bala Szent Miklos*, (z) Szent Miklos Teleke, S. Nicolaus ad fluuium Bala, a quo denominatur.

(b) *Angelháza*, (Angyalháza,) Vadudvár, Ostupal, lignorum & aquae indiga oppida. (*a*)

(c) *Gaborin*, praepositura vetus. (*b*)

(d) In aduersa ripa velocis *Köresii*, prostabant, S. Andreas (Szent Andras), Alba ecclesia, Bekyn, & inter vtrumque horum, Thur oppidum. (c)

8. Thermae, quae ad comitatus pertinent commoditatem, duplici fonte, in agro Varadiensi, vno ab oppido milliari remotae, apud Hajó & Szent Mártony vicos, scaturiunt, quarum priores, posterioribus, natiua praestant virtute ac efficacia. (*d*)

9. Supremi comitis dignitas, iure antiquo & perpetuo, concessa erat episcopis Varadiensibus. Debent

---

(z) Vicinum illi fuit olim Zent Peterzeg, (Szent Péter Zege) & Varsan. Nicol. Olahus in Hung. lib. I, cap. 16. §. 3. Nicol. Istuanff, lib. XXIV. p. 528. Kaprinay in histor. diplom. P. II. p. 18.

(a) Nicolaus Olahus loc. c. cit. 16. §. 3.

(b) Auctor topographiae magni regni Hungariae p. 141. (Viennensis edit. anni 1718.)

(c) Olahus loc. cit.

(d) Sunt thermae hae limpidae, temperatae & peramoenae. Werneherus scribit de admirandis Hungariae aquis, vas fuisse vicinas aedibus sacris, in quibus S. Ladislaus sepultus erat, & propterea thermas S. Ladislai esse vocatas.

bent id meritis Joannis Vitézii episcopi, qui, a Matthia Coruino, anno 1464. impetrauit, vt, qui pedum Varadiense, post se, fuerit consecutus, simul supremi comitis comitatus Bihariensis munere defungeretur. Hodie supremi comitis munere fungitur comes ANTON. BRVNSZVIK de Korompa. Conuentus publici magno Varadini & Debrecini celebrantur.

§. IX.

COMITATVS KRASZNENSIS, Hungaris, Kraszna-Vármegye, Germanis, die Krasner Gespanschaft, cui oppidum Kraszna nomen impertiuit.

1. Exilis regio est, quippe, tribus solum milliaribus procurrens. Latitudo certe, qua maxima est, vix milliare efficit. Ab ortu, montibus Meszes, Hungariae a Transiluania discriminatoribus, comitatu Szolnok mediocri, a septentrione intercluditur. Ad meridiem vero, solisque occasum, Bihariensis prouincia terminos ponit. Montibus altis, prae reliquis Hungariae prouinciis, maxime celebratur. In quibus recensendi sunt: Meszes, Rész, Zalnuk, Somlyó. Qui singuli, mox adsurgunt altius, mox leniter decliues esse incipiunt, amoena quadam pratorum serie, quam fluuii crebriores pertranseant, conspicui.

2. Suas hac regione mansiones, Hungari fecere, quibus intermixti passim & Valachi sunt, Graeci ritus. In Hungarorum regionis huius laudibus, id maxime ponitur, quod hospitalitatis iura sancta habeant. Tanta enim profecto, apud eos hospitalitas; vt nulla ferme, tota regione, diuersoria reperias.

3. Ager prouinciae triticum in primis, frumentumque Turcicum dictum, liberaliſſime educat; vinum etiam, ſalubre non minus, quam copioſum. Pecuaria res, ob vſum magis quotidianum, quam quaeſtus gratia, curatur. In montibus illis, quos ante iam nominauimus, linces deprehenduntur. Ad montium Somlyoienſium fines, lacus viſitur admirandae indolis, immenſae profunditatis, qui balneis etiam adhibebatur, effectu ſalubri. Hodie arundo lacum obtegit.

4. Conſtat regiuncula proceſſibus duobus, quorum hae ſunt appellationes:

(a) *Superior*, qui circa fontes Kraſznae amnis eſt, montibus Carpaticis, cum innexus, tum ſubſitus.

(b) *Inferior*, qui ſe verſus comitatum, qua Biharienſem, qua Szolnok mediocrem, ſinuat.

5. Arces; immo veſtigia ſolum arcium viſuntur.

(a) *Somlyó*, monti arduo, cui Várhegy nomen inſedit. Inſigne aedificium fuiſſe ruinae condocent, cuius ad Bathorios nonnulli origines referunt. (e)

(b) *Valkóvár*, incolarum olim comitatus, tumultibus barbarorum, perfugium. Radicibus montis Réſz, de quo ſupra meminimus, loco praecipiti impoſita fuit. Jam ruinis ſepulta iacet.

6. Oppida prouinciolae haec fere ſunt:

(a)

(e) Editi hic ſunt in lucem, Stephanus Bathori, rex Polonorum, Sophia Bathori, Franciſci I. Rakotzyi mater, aliique Bathorii. Notum eſt, gentem hanc, in duas lineas abiiſſe, quarum vna hic, altera Ecſedini habebat domicilium. Somlyoienſis ramus, Polonis, regem vnum, Tranſiluanis vero aliquot dedit principes. Aliqui exiſtimant, primam ſedem gentem hanc illuſtrem, vicino in vico Perecsen habuiſſe.

(a) *Somlyó*, arci, de qua nunc diximus, adiectum est, totius regionis princeps oppidum. Praeter summam enim, loci oportunitatem, frequens etiam incolitur. In summis eius laudibus ponitur, quod nobiles illos principes Bathorios dederit.

(b) *Krászna*, & id quidem copiosum antea, nunc tamen temporum iniuria, adeo exinanitum incolis; vt vix oppidum dici queat. Secedit Somlyoino, vno in orientem milliari. Traxit denominationem ab amne cognomine.

(c) *Nagy-Falú*, (magnus pagus,) tota hac regione locus facile frequentissimus, accedit ripae Berettyo amnis qui comitatum inde, a Bihariensium finibus perluit. Incolae, maximam partem, Hungari sunt.

(d) *Szent Margitha*, Fanum S. Margarethae, ad Bihariensem meliori iure prouinciam reiectum.

9. Supremus comes PETRVS comes HÁLLER ab Hallerstein est, dignitate ambulatoria.

§. X.

Districtus KÖVÁR, adpellationem ab arce montana Kövár habet.

1. Et hic quidem, quantuscumque est, est autem milliarium in longitudinem sex, in latitudinem quatuor, diffusus, montosam regionem occupat. Coercetur a septentrione, comitatu Maramarusiensi; Szolnok mediocri, a meridie; ab oriente, Transiluania; Szathmariensi denique comitatu, ab occidente. Qua montes desinunt, amoenissimam planitiem, arctam licet, mire videas, agris pratisque consitam vberrime, quam, riui etiam aliquot ex Transiluania egressi, irrigant.

2. Coloni districtus, Valachi sunt, copiosissimi; multo pauciores contra Hungari, qui, quos a priscis Hungaris accepere mores, ac vitae genus, hucdum tenacissime retinent. Illi contra, latrociniis incumbunt perpetuo, nec poenis vllis hucdum coërceri poterant. Quid non faciunt, mores mali inveterati?

3. Soli foecunditas insignis quidem est; minime tamen ita comparata, vt sustentandae vitae prouincialium sufficiat. Vineae, ob siluarum multitudinem, quae, magnos pecorum aliorumque pecudum greges sustentant, infrequentiores sunt. Id maxime dolendum est, iusto neglientius continuari operas metallicas; cum antea, maximo auri reditu, excultae fuerint fodinae. Scilicet, copiis ad rem metallicam curandam necessariis, destituuntur incolae. Feras in siluis haud desideraueris. Martes, linces, lupi, & id genus alia, passim regionem pererrant. Aequalis & auium siluestrium vilitas est. Plurimi adhaec montium excauati sunt, vt facile credi queat, perfugia hic, incolas inermes, barbari territos saeuitia, olim habuisse.

4. Fuit olim comitatus Szolnok mediocris, processus, a quo eum bella ciuilia auulserant. Nunc duobus processibus constat, qui sunt:

(a) *Kapolnak* a fluuio cognomine nomen indeptus. Qui tametsi sparsus, intra montes editos, frequentibus tamen vicis infessus est.

(b) *Montanus*, Valachis, Pegyallulire dictus. Totus inter montes demergitur, qui Hungariam a Transiluania disterminant.

5. Vna admodum, quae districtui nomen dedit, arx Kövár, (arx lapidea) memoranda venit. Duplex ea fuerat, vt perhibent historici, excellior altera, alioquin superior, quae amplis instru-

ſtructa fuit, vt oſtendunt rudera, palatiis, altera inferior, munita propugnaculis, praeſidiariorum habitationi erecta. Ambae, poſt innumeras bellorum calamitates, quas, tumultu Rakotziano, perpeſſae ſunt, iuſſu Caeſaris deſtructae, tantae molis, rudus ſolum oſtendunt. (f)

6. Oppida pauca admodum ſunt: vici contra ea, quam plurimi. Numerat enim hic diſtrictus, qui Hungaris Kövár Vidéke etiam dicitur, oppida 3. pagos 36. Placet hic oppida ſequentia commemorare.

(a) *Berkeſz*, non procul a radicibus arcis Kövár, plures nobilium familias accepit. Reliqui habitatores Hungari ſunt omnes.

(b) *Kapnik*, montanum oppidum, vbi aurum, argentumque effodiunt incolae. Anno 1743. ſocii operas intermiſerant, anno 1748. eas iterum reſumſerant. Et ſunt profecto, indicia quam plurima, fodiſſe hic, & priſcos colonos oppidi, metallum. Hinc & inde demum cumulos videas, ex inutilibus ſcoriis congeſtos. Inquilini Saxonicae originis ſunt, ad operas metallicas eo deducti.

7. Aquae ſalubres innumerae contigerunt diſtrictui. In his potiſſimum acidus cenſendus eſt fons, qui copioſus ad vicum Szurdó-Kapalnak ſcatet. Dici nequit, quantum eius ſalubritatem extollant incolae.

8. Supremi comitis loco, ſupremum habet capitaneum, qui, antea quidem, praefectus arcis Kövár fuit, ciuilibus ſimul negotiis inuigilans, hodie tamen comes MICHAEL KORNIS de Göntz Ruſzka, id muneris obit.

(f) Iſtvanff. lib. XXIX. p. 503. oppidum Kraſznenſi comitatui adtribuit, ſitumque eius exponit.

§. XI.

COMITATVS SZOLNOK MEDIOCRIS, vel MEDIVS, Hungaris, Közép Szolnok, Germanis, die mittlere Solnoker Gespanschaft, Szolnokiensis, ab arce Szolnok, (Zounok) mediocris, quod inter duos priores medius est, dicitur.

1. Totus montibus horret; etsi excurrat longius Transiluaniam versus; vsque dum, ab oriente & meridie, Transiluania, & parte Krasznensis prouinciae, ab occidente Krasznensi, Szathmariensi denique a septentrione terminatur comitatu. Valles subinde obuias, torrentes e montibus delapsi, rigant. Prouinciae longitudo, quatuor milliarium est, duorum latitudo.

2. Habitatores comitatus dudum Hungari sunt, qui & Valachos admiserunt, ob sui, nupera Turcarum tumultuatione, diminutionem. Hi ruri inprimis colendo operantur, & sedulo, & cum vbertimo prouentu. Insunt comitatui oppida duo, pagi vero 143.

3. Solum. ob montium asperitatem, non adeo frugiferum est: id tamen admiratione dignum, regionem, cum insita montibus sit, carere lapidibus. Nec re pecuaria proficit adeo, pabulis idoneis destituta. Viti equidem haud inimicum solum esset, dum modo coleretur solertius. Montes, quibus circumcluditur, eo iucundiorem adspectum praebent; quo frequentioribus siluis consiti sunt, quae innumeram ferarum auiumque copiam ministrant; adeo, vt liberam esse venationem opor eat; si tuto agri vineaeque coli debeant. Accidit hic anno 1722. vt venantibus aliquibus, femina siluestris, eaque nuda, occurrerit, tantae deformitatis, vt venatorum alter, sub illius conspectum, de mente deiiceretur. Persequebantur fugientem feminam venatores reliqui.

cir-

circulo quasi cinctam, nihil tamen, praeter fugientis vestigia, repererant.

4. Describitur processibus IV. quorum haec sunt nomina:

(a) *Szilaiensis*, complectitur eam regionis partem, quae monti Meszes, subiecta partim, partim implexa est. Situ itaqne est aspero, denominaturque ab oppido Szilaj.

(b) *Szilagy Csebiensis*, per orientalem Samosii ripam, procurrens, & radices montis Brik complexus, ad duo milliaria decurrens.

(c *Tasnadiensis*, qui septentrionalem comitatus oram, qua ea, trans montem Zanok, versus paludem Er protenditur, occupat, ab oppido Tasnád dicitur.

(d) *Pöriensis*, a vico huius nominis praecipuo, hoc nomen sortitus est, regione aperta, vndiquaque diffusus.

5. Sunt huic etiam comitatui arces insignes. In his:

(a) *Szilagy Cseb*, (Zilah, Zilaj) montem occupat ipsa altitudine insignem. Praeterea, siluis etiam vndiquaque circumseptus est. Multum a Turcis limitaneum hoc propugnaculum, Valachis etiam, quin & latronibus, fatigatum, nunc dirutum iacet, exceptis cubiculis aliquot, quae castellano incolenda remanserant. Meridiem versus oppidum subiacet, cognomini riuo adsitum. Colonos habet Hnngaros, qui & agricolationem, & vini culturam sedulo continuant.

(b) *Hadad*, in titulis familiae Vesselényianae de Hadad ponitur, quam ei árcem Stephanus Báthori rex Poloniae, cum ingenti dominatione, obtulerat. Hac ex gente maximam est consecutus celebri-

lebritatem Franciscus Vesselényi, imperante d. Leopoldo, post alios honores, palatini dignitate auctus, & inter equites aurei velleris relatus. Tota montibus inclusa est, obscuro loco erecta. Id solum eius accenseri meretur opportunitatibus; quod, frequenti olim, nunc tenui oppido, incingatur. Sunt nonnulla adhuc conclauia, quae aduentantes hospites recipiunt. Haec tamen nisi restaurentur, proxime penitus concident. Adpositum & viuarium habet, omni ferarum genere abundans. Oppidum tenue, de quo superius dictum iam est, nundinis & vini cultura, proficit.

(c) *Köd*, memoriae caussa adponendum; quod altissimo monti, densissimis circumcirca siluis, impositum fuerit, ex cuius dein ruderibus Kövárum illud, de quo iam ante meminimus, excitatum fuit.

6. Oppida, praeter arces, adnexa sunt:

(a) *Szildi*, ad Meszes montis radices, hilari positu, accessit. Nundinas incolae Hungari copiosas, diebus Sabbathi celebrant, cultu potissimum vineatico distenti, dominio Rhadaiorum subest.

(b) *Taschnad*, pristinis temporibus frequenter incultum, & agro fertili, & nundinis celebratur hucdum.

7. Supremi comitis dignitas ambulatoria est nunc FRANCISCO L. B. VESSELÉNY de Hadad collata.

§. XII.

COMITATVS SZATHMARIENSIS, Hungaris, Szathmár-Vármegye, Germanis, die Sathmarer Gespanschaft, nomen debet liberae regiaeque ciuitati Szathmariensi.

1. Est vero inter longissimos Hungariae comitatus censendus, quippe, ad quatuordecim, immo quindecim alicubi milliaria, planitie mera excurrit. La-

Latitudo est, septem alicubi 12 fere milliarium. Terminis in oriente, Marmarosiensi, & districtu Kövár; a meridie Szolnok mediocri, & Kraszn̄ensi; Szabolcsensi, ab occasu; Bereghiensi, & Vgotsensi comitatibus a septentrione definitur. Nec montes ei desunt. Bikkódal, in his est, meridionale latus cingens; Fekete Hegy, trans Samosium, & reliqui plures. Siluas frequentiores habet comitatus; quin, fluuiorum etiam aliquot irrigationem. Ad Echedum, palus ingens, e Kraszna excedens, obuius est.

2. Qui prouinciam incolunt, Hungari sunt parte maxima. Sunt & in Transiluaniae confiniis, Valachi, Russi, Slauonicó vtentes sermone, qui Marmarusiensium fines inhabitant. Reliquum colonorum genus ex Germanis & Slauis constat; qui, non ita pridem, a vicorum, quos incolunt domino, comite Karolyi de Nagy Karoly, eo deducti sunt. Reperiuntur in hoc comitatu oppida 19. pagi 236. animae Christianae 58800. Judaicae 1200. ad aerarium bellicum dependunt quotannis 48218. fl. 20. xr.

3. Ad fertilitatem regionis si adtenderimus, magnum in modum eam variare reperiemus. Mox enim sabulosus est ager, mox incultus plane, atque ita, non amicus adeo frumento nobiliori. Triticum Turcicum dictum proinde, magna copia his locis prouenit. Vini aeque ingens vbertas, & summa eius, tractu hoc, vilitas: cum integrae fere montium series, qui fines comitatus occupant, vite sint consitae. Fructuum aliorum, prouentus sunt iidem. Res tamen pecuaria, non curatur adeo; quandoquidem, & gracile armenti genus ei est, & siluis magis, quam planitiei adsuetum. Colunt & metallifodinas in Nagy-Bányensium, & Felsö-Bányensium finibus ex illisque aurum, argentum, cuprum, cinnabarim, antimonium, sulphur &c. eruunt. Piscibus quoque abundant, Samosius haleces nutrit, qui tamen parum curantur.

4. Ab-

4. Abſoluitur proceſſibus IV. quorum cognomina, partim ab vrbe & campo; partim a praeterfluentibus amnibus, deriuata ſunt.

(a) *Nagy-Bánya proceſſus*, Vgotsienſi & Maramaruſienſi comitatibus, in ſeptentrione; proceſſu Kövár, in ortu terminatus, deſinit in cuneum.

(b) *Számos-Köz proceſſus*, Samoſio amne irrigatus, ad Bereghienſium & Vgotsienſium collimitium profertur.

(c) *Kráſzna-Köz proceſſus*, Kraſzna & Samoſio amnibus adluitur.

(d) *Nyir proceſſus*, per Szaboltſenſium & Szolnokienſium limites extenditur.

5. Liberas regiasque vrbes, duas numerat comitatus. In his:

(a) *Szathmár-Németh*, Latinis, Szathmarium, vel Szathmar Némethinum, quae inſulam Samoſii fluminis inſedit, vrbs eſt, & arte munita, & natura. Poſtquam a Bathorianis denuo reciperetur, firma ei validaque propugnacula adſtructa ſunt, quae, multas multorum tumultuum iniurias ſuſtulerant. Nunc, cum in Hungarorum poſſeſſionem tranſiit; neglecta reſtauratione, penitus intercidit. Parte occidentali, oppidum adnexum habet, ciuibus Hungaris & Germanis cultum. Sunt & Valachi qui mercatu partim, partim agricultura, viuunt: pauci viti operam dant, fructu alioquin nobili, hic loci exuberanti. Vrbs haec, duobus ex oppidis Szathmár (Zatmár, & Zotmár) & Némethi, quae amnis Somoſius diuidebat, anno 1715. coaluit, liberaeque ac regiae ciuitatis iura eſt conſecuta, magiſtri Teuernicorum regalium, iurisdictioni ſubiecta. In oppidum Szathmár, Eliſabetha mater Ludouici I. ſodales S. Franciſci deduxiſſe, illisque domicilium poſuiſſe, anno 13?0. dicitur. Prope vrbem, vbi olim caſtrum erat, PP. ſocietatis Jeſu ſedem habebant, qui, hunc in comitatum, praecipite

pite saeculo XVI. deducti sunt, & ab illustri gente Karolyorum, & a Petro Pazmano, Strigoniensium archiepiscopo, multum protegebantur. (g)

(b) *Riuulinum*, seu Riuulus dominarum, Hungaris, Nagy-Bánya (Aszszony Pataka), antiquissima Theutonum colonia est, e vico viliore, inter liberas regiasque vrbes relata. Nomen Riuuli dominarum, propterea accepit; quod, non ipsa modo vrbs, verum fodinae etiam dominarum reginarum fuerint, perpetuae. (*h*) Inhabitant eam Hungari, Germanis mixti, qui fodinarum operas sedulo perficiunt. Nobilissimas hic olim, augustissimorum caesarum regumque fodinas fuisse, accepimus, tam diuitis prouentus, vt metallici, pulueres etiam, calceis adhaerentes, antequam cessauerant ab opere, abstergere debuerint, ne forte aurum, quod mercedem excederet, domum referrent. Operae hucdum, licet non tam vbere fructu, continuantur, aurumque, in aureos nummos, prout Cremnitzii, vna solum modo littera a Cremnitziensibus illos distinctos, conuertitur. Hi enim Sigla, seu litteris, N. B. illi K. B. i. e. Nagy-Banya & Körmötz-Banya notantur. Sunt ciuium nonnulli, qui, & vineis incum-

(g) Anno 1562. Franciscus Zay praefectus Szathmariensium, locum strenue adversus Turcas defendit. Anno 1680. Stephanus Báthori rex Poloniae Szathmarium, qua patrimonium familiae Bathorianae Somlyoianae repetebat, loco tamen illius, a Rudolpho II. rege, Nagy-Banyam est consecutus. Anno 1605. die 15. Januar. in manus Stephani Bocskai peruenerat, & postea sub potestate Transiluaniae principum permanserat.

(h) Cur riuulus dominarum vocetur, Kaprinay in histor. diplom. P. II. p. 249. ostendit. Vocatur & Ujváros, seu Neustadium.

cumbunt. Montes quoque castanearum feracissimos acceperunt. (*i*)

6. Arces memorabiles has fere dixerim:

(a) *Echedum*, Hungaris Etsed, recedit Szathmarino, quatuor, in occidentem, milliaribus, celebre olim Báthoriorum munimentum, eo inprimis; quod lacu cingatur vndique, qui, nec rigidissimo gelu, in glaciem coalescit. Paludem hanc efficit restagnans amnis vicinus Karaszna. Erant sub arce cellae vinariae olim capacissimae, in quas aqua non facile penetrare poterat. (*k*)

(b) *Erdöd*, tribus Szathmarino milliaribus recedit, arx antea munitissima, non positu solum; sed etiam munitione, quod e ruderibus hodie adparet. Posteaquam enim diu oppugnationem Joannis Sigismundi regis pertulisset, tradita demum, solo aequata fuit. Subest comitibus Károly, qui, castellum hic, eo, quo vetus illud positum fuerat loco, denuo erexerunt. (*l*)

(c)

(i) Deduxerat hanc in vrbem, patres societatis Jesu, Ladislaus Mattyasovsky Nitriensis episcopus, & regni Hungariae cancellarius. Ludovicus I. vrbi huic priuilegia contulerat, ex quibus adparet, iam anno 1347. fodinas hic cultas fuisse. Matthias I. anno 1468. ius monetas cudendi, & ex fodinis vsum capiendi, concesserat. Vide Ignatius de Born in Briefen über mineralische Gegenstände p. 147. Ab anno 1526. varias vicissitudines vrbs subiit, & rem metallicam negligere coepit, quae medio saeculo XVI. hic fere collapsa est.

(k) Arcem hanc, cuius positum Istvanffi lib. XXII. p. 448. describit, sumtu insano condiderat saec. XVI. Andreas Bathory. Deficit iam, nec supersunt amplius decores pristini. Anno 1701. cum Echedio minore propugnaculis exuebatur. Aliqui Echedum ad Szaboltsensem comitatum referunt. Possidet eam hodie Banfiorum gens nobilis.

(l) Ab arce hac, nonnulli illustris Erdödianae gentis denominationem repetunt, licet plures, & meliore forte etiam iure,

(e) *Nagy Károly*, castellum, natalibus & titulis inclutae gentis Károlyianae insignitum. In planitie autem resedit, oppido hic satis copioso contiguum; quod, ab Slauis, Hungaris, Germanisque incolitur, quercis hinc, illinc nemoribus amoenissimis ornatum. Quadri id forma, muris validis, instruxere. Multum ei ex herorum bonitate accedit augmenti in dies, adeo, vt iam elegantia praeeat multa. Circum fossas habet, & amplas, & profundas. Habent vero in oppido ipso domicilium PP. scholarum piarum, quod comitis Alexandri Károlyi liberalitati debent. Reliqua ex totius arcis decore, facile licebit coniectare.

7. Oppida comitatus nobiliora sunt sequentia:

(a) *Felsö-Bánya*, ciuitas metallica, vno in orientem milliari, a Riuulino dissidet, amoeno positu, quam Sesarus, alias Zazar & Szaszár, amnis, opportunam etiam metallorum eliquationi facit. Quod ex venis terrae hic eruitur aurum, & argentum, non incelebre est. Copiosum etiam augustae reginae metallorum prouentum exhibet. Ciues metallici, plerique sunt, ex Slauis, Germanis, Valachisque adsciti, qui omnes communi metallicorum libertate gaudent. Nec enim tributa vlli, nec hibernas stationes militi exhibent.

(b) *Erdöd*, orientem prospicit, bis mille passibus Károlyo discedens. Pedem montis fagei occupat, vitriariis potissimum officinis insigne.

(c)

---

ad Erdődium, quod in Tolnensi comitatu est, eam referant. Pertinebat olim arx haec ad inclutam Draghfiyorum gentem. Vltimus eorum Caspár fuit, cuius vxorem viduam, postquam Georgius Báthori, Andreae & Nicolai frater, duxisset, arcem quoque cum amplissima dynastia, vsurpare coepit.

(c) *Károly*, de quo ad arcem diximus.

(d) *Majtinium*, Hungaris Majtin, oppidum vetus in ripa Kraſznae, vno admodum milliari Károlyo in orientem ſubmotum. Pace Szathmarienſi celebratur; quippe, in cuius conſpectu duodecim millia Hungarorum, pacem, a Joſepho I. imperatore oblatam, ſolemni ritu iniuere, factionemque Rakoczianam anno 1711. deſeruere.

(e) *Káplony*, quod Károlyno, vnius horae interuallo diſtat, in quo comes Alexander Károly PP. ſtrictioris obſeruantiae monaſterium condidit, & in eo ſibi ſepulchrum delegit.

(f) *Matolcb*, Matolcsium, vel Matocsium, oppidum mediocre, comitatui Biharienſi vicinum, ad amnem Samoſium ſe depoſuit.

(g) *Gyarmath*, Gyarmathinum, oppidum, cui idem obtigit poſitus.

(h) *Fekete-Bánya*, oppidum metallicum.

(i) *Aranyos Medgyes*, Araynos Medgyeſinum oppidum frequens, ad amnem Samoſium, quod olim habebat arcem permunitam.

(k) *Csenger*, Csengerinum, oppidum mediocre, quod arcem habet duobus milliaribus Szathmario reiectam.

(l) *Zebota*, ad Samoſium fluuium olim florebat. *(m)*

(m) *Szinnier Vdrallya*. *(n)*

8. Fontes acidos habet aliquot:

(a)

(m) Nicolaus Olahus in Hung. lib. I. c. 16 §. 2.

(n) Ferd. III. decr. III. art. 61.

(a) *Borkút*, ad Felsö-Banyensium vrbem e cliuo scatet gustus amarioris.

(b) *Nagy-Banyensem*, qui non longe ab vrbe Nagy Bánya, loco hilari, e montibus viniferis progreditur, magis, ob gratiorem gustum, priori frequentatur. Quare, tecto etiam eum donarunt ciues.

9. Supremi comitis munus iure perpetuo, ANTONIVS e comitibus KAROLY, cum laude eximia tuetur.

§ XIII.

COMITATVS SZABOLTSENSIS, Hungaris, Szabolts - Vármegye: Germanis, die Saboltscher Gespanschaft, ita dictus, a Szabolts vrbe, vel castro antiquissimo, cuius tamen nonnisi rudera supersunt. Vocabatur olim Zaboltsensis, Zabolchensis, & Zabouchensis comitatus. (o) Ceteroquin

1. Longo, planoque tractu, sed qui frequentissimis fluuiorum inundationibus palustris plerumque est, expositus, ad quatuordecim vsque milliaria excurrit, latitudine, octo milliarium procursu cohibitus, comitatus, cui accedit proxime, ab ortu Szathmariensis; Heves & Borsod, ab occidente; a meridie, Bihár, Cumania & Szolnok exterior; Zempliniensis denique a septentrione sunt. Situs eius longe amoenissimus est, fluuiis crebrioribus irrigatus, aër contra, pro paludum frequentia, alicubi longe insaluberrimus. Tibiscus

(o) Castrum, Zabolsa anonymo Belae IV. regis notario, dux Zabolsa fundasse dicitur, vocatur alias Makvára Thurocz Chron. P. II, c. 4.

ſcus fluuiorum, qui regionem pertranſeunt, princeps eſt.

2. Inquilini Hungari ſunt, longe tamen pro regionis amplitudine pauciores, quod a Turcarum bellis petendum eſt. Hereditario iure hi omnes heros ſuos adtinent; quod tamen ſeruitutem perpetuam redolet. Acceſſere non ita pridem Rutheni etiam, obſcurum hominum genus. Zingari quoque frequentes videri poterant, qui, aut ferrum tractabant, aut fallebant incautos incolas boum permutatione. Deprehenduntur in comitatu pagi 119. oppida. 7. animae 57600. Tributa, quae aerarium bellicum inde quotannis accipit, efficiunt fl. 48562. xr. 45

3. Fertilitatis eximia huic comitatui laus eſt. Licet enim Báthorienſis proceſſus, infoecundior ſit reliquis; ceteri tamen, ita, & fructibus, & frugibus amici ſunt: vt nusquam fere magis, triticum, ſiligo, auena, & reliquum ſegetis genus, copioſe cum paſcuis laetiſſimis proueniat. Id dolendum merito eſt, quod regio, cum nobiliſſimis Tokaienſium collibus contigua ſit; vino careat. Fructuum certe tanta eſt frequentia, vt porcos etiam ſaginent, non raro iisdem. Pecora, pro paſcuorum praeſtantia, in Biharienſium maxime finibus, multa, & cum fructu aluntur. Ferarum, auium, quin piſcium etiam, aequalis conditio eſt. Atque eſſet omnino regio, omnium naturae bonorum, maxime diues; dummodo ſalubrium aquarum potu non deſtitueretur.

4. Quatuor hic ſunt proceſſus, ab oppidis denominati.

(a) *Kis-Vardienſis*, regiunculam Kis-Vardae vicinam; & pone Tibiſcum procurrentem, complexus.

(b) *Báthorienſis*, ſeu *Madaienſis*, & hic ab oppidis nomen ſortitus, eum comitatus angulum, occupat, qui, intra Kis-Vardenſem regiunculam, &

co-

comitatum Szathmár, vltra Szamoſum amnem protenditur.

(c) *Dadaienſis*, infra Kis-Vardenſem pone Tibiſcum, late per mediterranea decurrit, nomine a Dáda vico, accepto.

(d) *Nád-Vduarienſis*, infima comitatus parte, per Cumanorum & Bihavienſium limites abſoluitur.

5. Arces plurimae, quas habebat comitatus, iam interiere. Mentionem tamen & hodie merentur:

(a) *Kis-Varadinum*, arx & oppidum cultum egregie, immo & munimentum fuit. Hungari, Kis-Vardam, Germani, Kleinwardein, ad diſtinctionem Varadini maioris, de quo in Bihavienſi comitatu, adpellant. Loco paluſtri & Tibiſci inundationibus obnoxio, reſedit, irregularis munitionis, ac propterea etiam difficilis aditus. Saepiuscule obſidiones pertulit, quarum iniquitati, tumultuante Rakotzio, ſuccubuit. Oppidum, quod adpoſitum arci eſt, nihil celebris, praeter oenopolia habet. Ab arce hac incluta olim familia Kis-Varadiana, acceperat denominationem.

(b) *Szabolts*, arx olim, & vrbs princeps, quae duci Szaboltſio, Arpadi, vt domeſtici ſcriptores perhibent, filio, ſuas debet origines. (p) Parem cum reliquis arcibus interitum habuit, adeo quidem, vt paene memoria, & vrbis, & arcis, interierit. Rutheni eam inhabitant, homines iniquiſſimi.

(p) Vide anonymi Belae regis notarii cap. 21. Tam vaſtam hanc prodidere hiſtorici, vt non regem modo, ſaepius, verum etiam regni optimates hoſpitio acceperit. Inclaruit comitiis quae S. Ladislaus rex cum regni ordinibus anno 1092. hic celebrauerat.

(c) *Beszterez*, arce olim insignis locus, quam media paludum colluuie, erexerant conditores primi, iam solo aequata est.

(d) *Ibrunyium*, castellum genti cognomini sedem praebet.

(e) *Cság-Vár*, Csage, Csak, arx antiqua, illustris gentis Csakianae, quae ad Szaboltsium ducem copiarum Hungaricarum, natales refert, gentilitia, in ruinis est. (q)

6. Oppida multa hac regione sunt, & quidem:

1. Oppida, vt vocantur, Hajdonicalia. (r) Incolas oppida haec numerare dicuntur 21700. qui, in aerarium regium quotannis contribuunt fl. 26003. xr. 27.

(a) *Pertz Percs Vdmos*, exiguum iam & tenue.

(b) *Hathàz*, mille a priori passibus recedit, priori validius.

(c) *Beszermény*, copiosissimum hodie in omnibus oppidis Hajdonicalibus. (s)

(d) *Dorog*, ad solitudinem inclinat, (t)

(e)

(q) Diplomata & documenta vetusta, nomen gentis huius, mox vocula Saac, mox Csak, Csyak, Chak, ab vno vero ac altero saeculo, Csaky voce, exprimere solent.

(r) Quae a Stephano Botskaio Transiluaniae principe nobilitate donata sunt, eam ob causam, quod suas, quo Transiluani tumultuabantur tempore, partes tenuerint. Accessit eorum anno 1606. Viennensi puta pacificatione Rudolpho II. imperante, confirmatio, quae anno 1746. repetita est. Alii vero perhibent, iam Matthiam Coruinum, illis, libertates, quibus hodiedum gaudent, ea tamen lege, contulisse, vt ad hostium impressiones sint parati. Sex vero hoc nomine insignita numerantur.

(s) Anno 1425. illud, cum aliquot aliis oppidis, Sigismundus rex, Georgio regulo Rasciae, loco Belgradi, dederat. M. Thurocz in Chronic. P. IV. cap. 20.

(t) Forte alias Darotz, de quo Olahus lib. I. c. 16. §. 2.

(e) *Polgár*, Tibisco adsedit, nuper admodum dispersis, nescio qua de re incolis, desolatum. Initio saeculi huius iuris capituli Agriensis effectum est, adeoque, non amplius Hajdonicalibus oppidis adnumeratur.

(f) *Nánas*, incolis diuitiisque egregie gloriatur.

(g) *Szoboszló*, Zoboszló, Szoboslouia, vltimum est oppidum, inter haidonicalia, situs tamen amoenitate, inter prima, merito referendum, in amniculi Kösfély ripa.

2. Oppida reliqua sunt:

(a) *Mandók*, multitudine incolarum excelluit aliquando, quae tamen satis hucdum imminuta fuit. Agrum plerique colunt, artes alias paucissimi; adnumeratur ditioni Forgachianae.

(b) *Báthorinum*, Hungaris Báthor, seu Nyir Báthor, oppidum, quod inclutam illam Bathoreorum gentem dedit, celebre ac frequens. Bellis ciuilibus, igne & ferro, ita euastatum fuit, vt iam fugitiuos quosque in numerum ciuium recipiat. (*u*)

(c) *Mada*. exile oppidum est; licet ante copiosissimum, eo commemorandum in primis, quod dimidia sui pars Szaboltsensi comitatui, dimidia Szathmariensi, adnumeretur.

V 3 (d)

(u) Sepultus est in eo heros ille insignis Stephanus Báthori qui sub Mathia Coruino, virtute bellica inclaruerat, Transiluaniamque diu feliciter administrabat. Saeculi, quod viuimus XVII. anno, sodales Francisci, qui minoritae vocantur, huc sunt deducti. Non est confundendum cum Fekete Báthor, ad velocem Sebes reiecto, de quo Olahus in Hungar. lib. I. cap. 16. §. 4. Notandum adhuc est, Nyir Bathor forte a siluis (Nyir) de quibus anonymus Belae regis notar. cap. 12 denominatum. Terrae Nyir meminit etiam Thurotz in Chron. P. IV. c. 21.

(d) *Nagy-Kallo*, oppidum praecipuum toto comitatu, & ad arcendum hac regione Turcam, eximie, non arte tantum, sed natura etiam, paludibus videlicet, quibus circumdabatur, munitum. Seditione Rakotziana, nuper, & adflictum igne est, & nudatum propugnaculis.

(e) *Nyiregyháza*. (*x*)

(f) Est, inter vicos, Cseye, potissimum notandus, antea Csako-Tár, dictus eo nomine, quod gentilitia antiquissimae Csakyorum gentis, domus exstiterit. Commoditatis certe, praeter situm in ripa Tibisci hilarem, nihil habet reliquum. (*y*)

7. Supremus comes est, JOANNES e comitibus BARKOCZY de Szala. Conuentus prouinciales celebrantur in oppido Nagy-Kalló.

§. XIV.

COMITATVS VGOTSENSIS, Hungaris, Vgotsa Vármegye, Germanis, die Ugotscher Gespanschaft, ab Ugotsiensi castro, in Szathmariensi collimitio, celebri olim nobilique, nomen sortitus.

1. Montoso partim, partim plano situ est; eoque vlignoso, duobus solum milliaribus decurrens. Exiguus ergo hic comitatus, Szathmariensi, & Maramarusiensi prouinciae, ab ortu, ab occidente & septentrione, Bereghiensi; Szathmariensi denique a meridie terminatur. Montium praecipuus est Harck, ex Maramarusiensium confiniis huc quoque propagatus. Tibiscus, hanc aeque, ac priorem regionem, perfluit.

2.

(x) Ferd III. decr. art. 67.

(y) Erat quoque olim hic regio, quam Olahus Nyerkevz vocat, cuius oppida, idem in Hung. *lib. I. c. 16. §. 2.* enumerat.

2. Inquilini regiunculae Hungari sunt, Russis Slauisque mixti. Sunt & Valachorum aliqui, qui ruditatis non minus, quam pigritiae, habent plurimum; pauperes plerique sunt. Habet oppida 2. pagos 64. incolas christianos, 13160. Judaeos 340. aerarium bellicum accipit ex prouinciola quotannis fl. 9642. xr. 40.

3. Fertilitatem soli non adeo laudarim. Quod enim planum est, aquarum exundationibus, quippe quae paludes relinquunt, corrumpitur, quod montosum, tantam habet asperitatem, quanta ea est, quae maxima. Vitem, praeter vicos aliquot, raro coli videas. Proinde, exiguorum certe prouentuum haec ora est, siue agri, siue vitis spectes culturam. Pecoris aeque parum nutriunt incolae; quod sciant, & gracilis esse generis, & vtilitatis, quam domesticae, nullius. Ouium greges copiosissime omnium, alunt; quin venationibus etiam gaudent, ferarum non minus, quam auium quoque siluestrium, copia insignibus.

4. Exiguus licet sit comitatus, in plures tamen abit processus. Hi vero sunt:

(a) Nobilitaris seu *Péterfaluensis*, sic dictus, quia vicis mere curialibus constat.

(b) *Nagy-Szölösiensis*, celebri oppido eiusdem nominis, adpositus, vltra Tibiscum.

(c) *Nyaldbiensis*, ad meridionalem Tibisci marginem inter Szatmariensem & Maramarusiensem comitatum. Dicitur sic ab arce deserta Nyaláb.

(d) *Halmiensis*, circa oppidum cognomen diffusus. Alii in duos tantum processus comitatum partiuntur, videlicet, in Trans-Tibiscanum, & Cis-Tibiscanum.

5. Arces montani positus, duas numerat. In his:

(a) *Kankó-Vára*, quam monti inaedificarunt primi conditores, non altissimi quidem, sed difficillimi tamen aditus. Vgatha olim dicta fuit. Hodie nihil ei amplius, praeter foedissima ruinae indicia supersunt:

(b) *Nyaláb*, arctius ad ripam Tibisci excelso monti imposita fuit, ruderibus solum conspicua, in quae iussu Leopoldi M. bello vltimo, redacta fuit.

(c) *Királyháza*, arx olim iuris Perényani, ornatissima.

6. Par oppidorum ratio est. Licet enim frequentissima habuerit antea; hodie tamen tenuissima videas. In his fuere insigniora.

(a) *Nagy-Szölös*, incolis olim facile fuerat abundantissimum, sic satis munitum etiam, ne quibuscunque tumultuantium insultibus cedere necesse haberet. Hic ille locus est, vbi vitem plantant coloni, prouentu non contemnendo. Interiit non ita pridem, cum recrudescerent bella ciuilia; nunc tamen denuo, lentis licet initiis, exsurgit. Conciliat ei decus illustris gens Perényiorum, quae hic domicilium fixit.

(b) *Halmi*, (Holmi) apertum vndique, quamuis fossa cinctum olim accepimus. In planitie resedit, collibus hinc atque illinc exsurgentibus.

7. Honorem supremi comitis, licet non hereditario iure, CAROLVS L. B. PERENYI de Szölös obtinuit.

§. XV.

§. XV.

COMITATVS MARAMARVSIENSIS, Hungaris, Maramaros-Vármegye, Germanis, die Marmarusche Gespanschaft, a Galliciae confiniis Maramáros i. e. Már ama rosz, dicta, prouincia. Alii nomen hoc a castello apud Márám, vbi haec se in Tibiscum exonerat, posito olim, deriuare malunt.

1. Vltimus hic Hungariae angulus, totus quantus est, montibus exasperatur, qui ad Carpatum spectant, & Hungariam, a Gallicia & Moldauia, secernunt, exigua solum ad Tibisci margines planitie relicta. Longo is itinere, ad decem, & vltra, milliaria procurrit, latitudine ad septem alicubi extensus. Definitur autem, ab oriente Gallicia, in specie vero prouincia, quae Pocutia vocatur, Moldauia & Transiluania; a meridie, Szathmariensi, & Vgotsiensi comitatibus; occidentale latus Bereghiensis prouincia; Russia rubra seu Gallicia, septentrionale coercent. Inter fluuios, quibus obnoxia prouincia est, Tibiscum merito retulerim: ille enim duobus alueis, nigro & albo, regionem crebris inundationibus infestat.

2. Occupant comitatum Hungari, Rutheni, Valachi, culti adeo; vt senatibus etiam adhibeantur. Hinc inde Saxonum reliquiae visuntur, continuandis operis metallicis, fors huc euocati, quae, quod negliguntur hodie, & hos omnes delitescere faciunt. Numerantur hic oppida 6. pagi 133. incolae 61780. qui, in aerarium publicum quouis anno subministrant fl. 44085 xr. 20.

3. Frumenti genus omne, optime regione tota proficit, iis potissimum locis, qui collino situ gaudent. Quin fructus etiam carpunt uberrimos. Viti, non diligentes adeo operas impendunt. Nam, & difficiliores sunt multo agricultura; & tan-

tantum etiam vini, a finitimis coemere vili pretio queunt, quantum domesticae rei sufficit. Nec pecuariam adeo curant, exili quippe boum numero pro agris modo arandis contenti. Hic inexhaustum illum salis pronentum reperias, de quo iam diximus parte generali §. 8. Integros montes aduertunt non raro, ex mero sale compositos. Tres fodinas colunt, quarum magnam alteram; alteram novam; tertiam denique mediam adpeliant. Ex his, quadringenta olim salis centenariorum millia, vno anno eruta fuisse adfirmant rerum gnari. Ducenta hodie millia, lapidum effodiuntur; quae, nostro idiomate, Formas Só, fragmenta autem Mellye-Só, vocamus. Locus ipse, vbi sal foditur, Rhonaszék adpellari consueuit, vltra Szigethum in orientem brumalem recedens. Sal, quem haec ora suppeditat, instar lapidis caeditur. Metalla, ob incolarum auaritiam, vel neglientiam, negliguntur, licet diues metalli, Carpatus iam olim repertus fuerit. Pretiosi etiam lapides, imbribus ex terrae visceribus eruti, obuii saepius sunt.

4. Huic quoque IV. processus sunt, his insigniti nominibus.

(a) *Inferior*, seu occidentalis, est in confinio Vgotsensium ad arcem Huszt.

(b *Szigethiensis*, media comitatus regione expansus.

(c) *Superior*, seu orientalis, extremus Hungariae, Moldauiam & Transiluaniam versus, angulus.

(d) *Kaszszo*, ita vocitatus, quod flumine Kaszszó interluitur.

5. Arx

5. Arx vna adhuc supereſt, Maramaruſienſibus, Huſzt, & natura ipſa, & arte validiſſima. Praeruptum ea montem in Vgotsienſium limitibus occupat, qui crebris exaſperatur petris. (z)

6 Oppidorum haec ſunt praecipua:

(a)

(z) Varia arcis huius fata fuere. Antea enim in coronae bonis conſebatur, cum dynaſtia, quae ad eam ſpectabat decr. IV. Wladislaus II. art. 3. & Ludouici II. decr. anni 1518. art. 14. Facta poſt hac rerum conuerſione, Mariae reginae vxori Ludovici II. doti data ſunt. Conf. Nicol. Olahi Hungar. Lib. I. cap. 16. §. I. vbi perhibent, eam, cum Uyak., & aliis oppidis, ad reginas Hungariae, titulo donationis propter nuptias, pertinuiſſe Dici profecto nequit, quanta dein heroum mutatione, vexata fuerit; uſque dum poſt multas bellorum iniurias, Nicolao Bethlenio a Leopoldo imperatore donaretur Principes Tranſiluaniae de hac inprimis arce conſeruanda fuere ſemper ſolliciti. Capto anno 1567. Munkacsino, Schuendius eandem expugnare non potuit. Poſt 10. annos, iterum ad illam oppugnandam accedebat, ſed, adcurrente Turca praeſidiariis in auxilium, proelium cum eo inire debuit. Licet vero a Chriſtianorum partibus fuerit victoria; arx tamen expugnari non potuit Anno 1599. Baſta eadem eſt potitus, & ſimul theſauris magnis Bathorianis in eam congeſtis. Anno 1605. Stephanus Bocskai, fame, illam ad deditionem perduxit, immenſosque theſauros, quos Bathorii, Michael Waiwod & Baſta, in ea depoſuerant, occupauit. Volfg. Bethlen hiſtor. libr. XIV. qui tamen necdum typis eſt evulgatus Anno 1703. proditione & ſocordia praeſidiariorum in manus Franciſci II. Rakotzii deuenerat. Infra arcem, oppidum conſpicitur ſummorum virorum aedificiis olim ornatum. Ciues Hungaros habet & Ruthenos, qui egregia oppidi, ad ripam nempe Tibiſci ſeptentrionalem poſiti, opportunitate haud abutebantur. Erat in oppido olim duo ſplendida templa, alterum S. Eliſabethae, a Mathia Coruino; S. Catharinae alterum, a Wladislao II rege poſitum conſecratumque. Sunt & ruinae, in colle quodam edito; arcis eiusdem munitiſſimae Brony, quae ex comitiorum decreto ſolo aequata eſt.

(a) *Visk*, Vysk, Vesk, duobus infra Tibiſcum milliaribus, qui oppidum perluit, ſepoſitum, ciuibus Germanis gaudet, qui, idiomate nimium corrupto vtuntur, & linum copioſe & cum fructu colunt. (*a*)

(b) *Tetsö*, ſeptentrionali Tibiſci margini adſedit, tenuius tamen priori, quod ab incolis, gente Hungaris habitatur.

(c) *Szigeth*, hilarem accepit poſitum, eoque potiſſimum inſignem, quod hic, comitatus ſuos conuentus celebret. Ineſt ei horreum, reponendo ſali exſtructum.

(d) *Hoſzſzú-Mezö*, Valachis Kempilung, quaſi Campolongo, quod, & Hungaricum, & Ruſſicum nomen dluhe pole, denotat. Inſedit pone Tibiſcum amnem, ſitu, ob eluuiones nimias, iniquo. Inquilini Hungari ſunt omnes.

(e) *Ur-Mezö*, campus dominorum, eius, cum Hoſzú-Mezö, & agri, & poſitus, in laeta planitie, cui natales ſuos vetus & incluta familia Pogányana debet.

(f) *Rhona*, Rona, Runa, Rhonaſzék, inter montes ſalis natiui feraces locum occupauit.

(g) *Maramarus*, Maramaruſium, caſtrum antiquum, a quo comitatus eſt denominatus. Sunt, qui perhibent, Paulli eremitae familiam hic habuiſſe domicilium.

(h)

(*a*) Pertinebat olim, cum aliis oppidis, ad arcem Huſzt, quae ad reginas, propter nuptias ſpectabant. Olahus in *Hungaria* lib. I c. 16 §. 1.

(h) *Porofzló*, abbatia olim non incelebri, memorandum. Huc quoque olim referebantur.

(i) Arx & oppidum *Zewlews*, (Szölös) Dolha, Salak, Vári, arces. (*b*)

(k) *Sztropkó*, caftellum (c) cui vicinum fuiffe videtur Hangách, caftrum. (*d*)

7. Duo praeterea dominia reperies, Rhonafzékenfe, alterum; alterum Botskoienfe. Ambo regalia funt, falisfodinis, quod diximus fupra, infignia.

8. Nec accidulas apud Maramarufienfes defideraueris; quippe quae, copiofae fatis, hinc & inde reperiuntur, & difficulter etiam earum iniri poteft numerus. Nobiliores funt:

(a) *Borfaienfes*, in proceffu fuperiori fcatentes, peculiari quadam, quod hauriantur faepius, falubritate.

(b) *Batizaienfes*, in proceffu eodem, ad lauandum potiffimum calefactae adhibentur.

(c) *Gloódenfes*.

(d) *Nánfaluenfes*.

(e) *Szaplontzenfes*.

(f)

(*b*) De quibus Olahus in Hung. lib. I. c. 16.

(c) Non confundendum cum Stropko Zemplinienfi. De Stropko Maramarufienfi, intelligendus erit Matth. art. 29. decr. anni 1471. Ferd. I. aetate diruendum fuit, vt decret. VII. art. 4. §. 2.

(*d*) Ferd. I. decr. VII. art. 4. §. 2.

(f) *Viskensis.* Quarum singulae salubritate perexi-mia celebrantur.

9. Supremi comitis dignitatem STEPHANVS ANDRASSY de Siklo, anno 1776. est consecutus.

Tantum, de Hungaria in compendio.



INDEX

Emendanda.

Pag.	Lin.		Lege.
37	31	15 7	1567
38	24	17 3	1723
46	5	iis	iis situs
47	antep.	illud	illa
63	7 a fine.	Skalva	Skala
66	6	Nyarini	Nyariani
70	10	vuquam	quenquam
88	3	notata	notatu
101	17	adminiſtratorem	adminiſtratorem comitem
108	23	oiim	olim
116	24	anguſta	auguſta
125	7 a fine.	itaque	lateque
145	antep.	periuit	perluit
161	10 a fine.	cuius bona idem archiabbas eſt conſecutus	omittenda
163	4	iafra	infra
171	4	irrigiva	irriguam
180	9	ora	tota
181	4	quo hic	quo hic S. Stephanus rex
182	4	ataes	Pataes
190	7 a fine.	nimium	minimum
196	24	datis	ſatis
206	8 a fine.	reram	terram
215	3	praelate	praealte
219	28	iprdem	pridem
241	7	fiore	flore
243	15	Puſzto	Paſzto
244	3	Malka	Makla
300	antep.	13 0	1370
315	5 a fine	Erat	Erant

Reliqua, lector ſedulus facile emendabit.

Hungaria Hodierna. Saeculo XXI

